Q. HORATIUS
FLACCUS

Selectis fere omnium Interpretum, ac præcipue Dacierii, & Sanadonis notis, & argumentis illuſtratus

OPERA ET INDUSTRIA

FRANCISCI DORIGHELLO.

EDITIO SECUNDA

Auctior, & accuratior.

TOMUS TERTIUS.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

PATAVII, MDCCLXXX.

Typis Seminarii.

Superiorum Permiſſu, & Privilegio.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

POeſis didactica inſtruit, rationis leges inculcat, artes dirigit, rei veritatem ornat. Severis Armoniæ poeticæ legibus minime addicta, facile, nitide, breviter ſententias enunciat, quæ in eorum animos, quos inſtituit, leniter influant. (E. III. 335. 336.) Hinc Ἔργα, & Ἡμέραι Heſiodi, Γνῶμαι Theognidis, Θηριακὰ Nicandri, Κυνηγετικὰ, & Ἁλιευτικὰ Oppiani, Διονυσιακὰ Nonni apud Græcos. Apud Latinos vero Poemata Lucretii de rerum Natura, Virgilii Georgica, Lucani Pharſalia &c. Verum in hiſce operibus nulla alia poetica virtus nitet, quam forma. Materies enim jam erat in promtu. Nihil fictum ibi eſt juxta imitationis leges, ſed Veritas ipſa loqui videtur: in verbis tantum verſatur imitatio. Poema igitur didacticum eſt Verum verſibus expreſſum, cum contra alia poeſeos genera ſint res fictæ, verſibus deſcriptæ. En duo extrema, quibus plurima interponuntur Opera, rebus fictis, veriſque commiſtis, mutuamque ſibi opem afferentibus. Poemata magis, minuſve didactica vocantur, prout plus, minuſve continent Veritatis aut Fictionis. A duobus illis extremis Poeſis quodammodo abhorret. In genere didactico locum habent Satira, Epiſtola verſibus ligata, & alia.

Poetæ didactici vulgarem loquendi formam

pertæſi Numen invocant, & continuo ſe cœleſti ejus afflatu inſtinctos eſſe jactitant. Hoc principio nituntur hæ generales regulæ. Hujuſmodi Poemata ordinem rerum celare ſtudent; videntur inſito quodam ingenii impetu libere agi; ſequuntur materiem, prout ipſa ſeſe affert, abdicatis rigidis illis Methodi legibus, quæ artis vim patefaciunt, ac fatentur; caute evitant nimium ſtudium. & operam. Non tamen Herois obitum ante ortum narrant, nec ſtabilem tempeſtatum ſeriem interturbant. In exiguis partibus ſolet interrumpi Ordo (quod potius tribuas leviuſculæ negligentiæ, & oblivioni, aut ad majora tendenti animo, quam inſcitiæ) in magnis vero ſervari naturalis. II. Hujuſmodi Poetæ ea operibus ſuis interſerunt, quæ abs re videntur aliena, ſed data occaſione apte afferuntur in medium, ut ſcilicet eruditione, & dignitate rem præcipuam decorent, & Muſarum favorem oſtentent. Talia ſunt Epiſodia Ariſtei, & Orphei, alicujus Nymphæ metamorphoſis in arborem, flumen, rupem &c. III. Iidem omnia poetici ſtili jura ſibi adſciſcunt, ſententiis pondus addunt, eas translatis vocibus, & egregiis roborant, augent, temperant; audacibus figuris interdum inſurgunt, in collocandis verbis, ac ſententiis ſingulari licentia utuntur, exquiſitæ eruditionis opes identidem promunt. IV. Permovere volunt legentium animos, ut facilius, quæ venditant, obtrudant. Hinc illæ imagines vivæ, venuſtæ, ſucculentæ, quibus concinne

cinne res propoſitæ pinguntur. difficilius enim ingenio, quam animo ſatisfacias.

Poema hiſtoricum res magis ad vivum exprimit, luminibus illuſtrat, multiplici adſpectu videndas exhibet; cauſas etiam altius eruit, & quæ hinc efficiuntur; interdum ad ea, quæ Naturam dignitate vincunt, evehitur contemplanda. Silius Italicus facta narrat Punici belli, ut T. Livius, ſed omnia undique docto penicillo adumbrat, idque efficit ut res ſeſe ultro oſtendant, cum Hiſtoricus ſæpe ſatis habeat eas recenſere.

Poema Philoſophicum in primis legentium mentes illuminat. ſcientiæ enim tendunt horſum, ut tenebras luce diſcutiant. in eo igitur Methodus diligentius ſervanda, quam in aliis Poematibus, minuſque licet ad alia divertere, quæ Orationis contextum injuria abrumpant. Eadem de cauſa parcendum figuris, & Poeticis lenociniis, niſi forte iis opus aliquando ſit ad Orationem exornandam, animandaſque ſententias. Lucretius conſtanter rem inſtitutam perſequitur, nec in medio Orationis curſu ad inania deſcendit. ſunt, quæ ſileri poterant, ſed ita collocantur, eoque tendunt, ut legentium animos præparent ad graviora conſideranda, aut recreent diuturno, difficilique legendi labore fatigatos.

Quoad Poemata, quæ in præceptorum traditione verſantur, præſertim requirenda brevitas, quæ ſi cum perſpicuitate conjungatur, plurimum affert emolumenti. facilius enim hoc

 pacto

pacto præceptum percipitur, penitiusque infigitur mente. Cum vero præcepta ipſa per ſe arida ſint, & ſubtriſtia, Poeta, artis ſuæ peritus, ea aliquando rationum momentis roboret, exemplis ornet, vel etiam tacite ſignificet per allata exempla, fulciat hiſtoriæ adminiculis, animet ſpectato fine, imagine aliqua objecta præparet, demum ſatietatem veritus intermiſſo paulliſper generis ſui curriculo in Epicum vel Dramaticum evadat, ratione tamen habita decori, ſtilo utatur vario, nobili, facili, animato, temperet æſtus in animi ſenſibus, varios rerum adſpectus inveſtiget: Verbo: Poema didacticum ſimile ſit honeſtorum hominum, ac politiorum congreſſui.

Poeticæ artis eſt præcepta tradere ad imitandum, quidquid in Natura pulchrum eſt, & optimum, ut inde utile miſtum dulci enaſcatur. Hinc tria facienda ſunt. I. eligendæ res, quas imitemur. II. perfecte imitandæ, III. graphice verbis exprimendæ. Ad hæc tria referuntur omnia Horatii præcepta. Duo priora communia ſunt omnibus artibus imitatricibus, ideoque, quidquid Flaccus ait de iis, accommodari poteſt ad amuſſim Muſicæ, Saltationi, Picturæ, & aliquam partem etiam Eloquentiæ, & Architecturæ. Quoad tertium vero generalia de elocutione poetica præcepta pertinere poſſunt ad Muſicam, Picturam, & Choream. Omnes enim artes quocumque tandem modo ſeſe exerant, id certe faciunt apte, clare, facile, decenter. Sed hoc diſcriminis

minis intereſt, quod Poeſis verbis, Muſice ſonis, Pictura coloribus, Chorea geſtu ſe ac ſua exprimunt. Hoc igitur veluti campo ſpatiatur ars Poetica Horatii, qui fontes rerum ſæpe attingit, ut legentium mentibus clariorem facem præferat, iiſdemque plura unó adſpectu perluſtranda præbeat.

Multi quidem decepti ſunt hoc titulo *de Arte Poetica*; putarunt enim imperfectum ac mutilum eſſe opus ob Auctoris, vel librariorum negligentiam, vel ob temporum injuriam, quia ſcilicet multa, quæ in hoc genere præcipienda videbantur, deſiderarentur. Sed illa inſcriptio ab Horatio præmiſſa Operi (ut colligitur ex Quintil. lib. III. c. 11. Ex Don. in Terent. Act. 5. ſc. 4. Adel. ex Serv. in Æn. ex Probo, & Sidonio Apollin.) non declarat omnia, quæ artis Poeticæ ſunt, enuncianda fuiſſe. Auctor enim in hac re pertractanda Philoſophico more uſus præſtantiſſima quæque ſecutus eſt, & plura perſpicacibus lectoribus hinc deducenda reliquit. Non de Apologo loquitur, non de Ecloga, non de Epopœja, non de Satira &c. Vel ſi quid dicit, id refert ad Tragœdiæ rationem, quam unam ſibi popoſcit edocendam. Quod & feciſſe reliquos, qui artem Poeticam evulgarunt, ut nempe in una fere Tragœdia immorerentur, teſtatur Janus Vincentius Gravina. Cum igitur Horatius rem omnem funditus perſpexerit, illud etiam probe intellexit, hoc uno Poeſeos genere cetera fere omnia comprehendi; ab univer-

ſa Poeſi, ejuſque legibus cunctis peti *Veriſimile*, & ſe de omnibus fere generibus eodem tempore acturum fuiſſe, ſi de hoc uno tantum præcipue egerit. Tragœdia enim heroica eſt, ut Epopœja; Dramatica, ut Comœdia; verſibus vincta, ut omnia plane poemata, colores ſuos a Natura mutuatur, iiſque accommodat ſtilum. Hoc quoque conſilio de Tragœdia egit, ut valde gratificaretur Piſoni natu majori, qui ad Tragœdias ſcribendas pronum habebat ingenium, & animum, atque adeo teſte veteri Interprete nonnullas concinnaverat.

Præterea animadvertendum, hanc eſſe Epiſtolam, cujus ea indoles eſt, ut ſit præſertim libera, & careat auſtera ac moroſa illa methodo, cui inſiſtunt rigidi Philoſophi; cumque de præceptis verba faciat, quæ libera eſſe debent, nec ordini religioſe adligata ad legentis tædium declinandum, quæ poetico aliquo colore imbui velut exemplo, quæ blandius in animos ſe ſe inſinuare; idcirco venuſte iſta ita collocat, ut inſerviant tempori, ut legentium animis citra moleſtiam obrepant.

Si qua videntur e ſuo in alienum locum traducta, ita ut comparata cum proxime antecedentibus, vel conſequentibus diverſam veluti formam exhibeant, conſideranda ſunt tanquam Epiſodia quædam in Poemate Epico, unde venuſtior operi color, ac ſpecies accedat.

Plerique tamen, quæ generatim Horatius differuerat, falſo interpretati ſunt, perinde ac

ſi de

ſi de hoc vel illo Poeſeos genere agere profiteretur, ac propterea ordinem in rebus pene nullum ſibi olfacere viſi ſunt.

Quid ſi aliqua dedita opera omiſit, vel quia ea in Satiris vel Epiſtolis ante ſignificaverat, vel quia levioris momenti eſſe putavit? quid ſi hac ratione voluit ſatisfactum Piſonibus, qui fortaſſe plura, quam par eſt, a Poeta celeberrimo, longique laboris inimiciſſimo poſtulare noluerunt?

Non nego per librariorum incuriam, temporum injuriam, Grammaticorum audaciam non paucos errores irrepere potuiſſe, atque adeo irrepſiſſe in multa hujuſce Epiſtolæ loca: ſed nego locorum ordinem inverſum fuiſſe, atque perturbatum; qua de re mox videbimus. Neque enim quidquam moveor verſiculo illo, quem Servius Virgilii interpres producit tanquam ex Arte Poetica avulſum, ac ſolitarium, quandoquidem nullo in codice reperiri unquam adhuc potuit. Ac tametſi illud dederim, eum fuiſſe veluti membrum e corpore ſejunctum, ex eo nihil aliud colligi poſſet, quam aliquot hujus Epiſtolæ verſus, ac locos exigua ſane jactura fuiſſe deperditos. Niſi forte fidei propius ſit, verſum hunc commentitium eſſe, & interpretem, qui illum attulit, Servium nomine eſſe, re Sycophantam.

Accipe igitur, benevole lector, Horatii artem Poeticam, qualem tot elapſa ſecula per manus veluti traditam exhibuere. Non me fugit extitiſſe quoſdam ingenio & eruditione

præ-

præſtantes viros, qui eam ſine ordine, ac methodo ſcriptam fuiſſe, litteris prodiderunt. Omnium confidentiſſimus Julius Cæſar Scaliger ſcribere non dubitavit: *de arte* (nempe de Poetica Horatii) *quæres, quid ſentiam? equidem quod de arte ſine arte tradita*. Qui ſane Scaliger hac in re audiendus fuiſſet, ſi ipſe graviorem, accuratioremque poeticam artem pertexuiſſet, quam Horatius ipſe, cujus ſæpe fontibus hortulos ſuos irrigavit. Alii, iidemque multi æquioris judicii culpam omnem perturbati ordinis in veteres Grammaticos, vel exſcriptores tranſtulere, qui pro inſcitia, aut lubidine multa loco moverunt, aliqua interturbarunt. Daniel Heinſius vir ingenioſus & eruditus minime acquieſcens antiquitatis judicio, methodum hanc communi in uſu poſitam retinentis, novam excogitatu auſus eſt, & typis edere, ac veluti quæſitam meritis ſuperbiam ſumens gloriatur, ſe primum omnium perturbatum Horatianæ Poeticæ ordinem in ordinem vere redegiſſe. Ac ille quidem multis mortalibus, atque adeo mihi ipſi fucum fecisſet, niſi a viro doctrinæ, & eruditionis ſupellectile cumulatiſſimo, qui humaniores litteras in hoc Patavino Gymnaſio ſumma cum laude profitetur, quem Magiſtrum habuiſſe glorior, edoctus fuiſſem, laudem hanc non Heinſio ultra montes nato, ſed Italo homini Antonio Riccobono humaniorum litterarum itidem in Patavino Gymn. Profeſſori debitam eſſe, qui primus omnium multis annis ante,

quam

quam Heinſius conſilium hoc de arte Poetica Horatii ad novam, & caſtigatiorem methodum reducenda cordate ſuſcepit, ac ſuſceptum feliciter abſolvit. Exorta quippe litteraria contentione inter ipſum Riccobonum, & Nicolaum Colonium Bergomatem, qui anno 1591. ſucceſſerat in locum Jaſonis de. Nores ad Philoſophiam moralem ſuperiore loco Patavii tradendam, de Poetica Horatii, quam ipſe Colonius edito commentario illuſtraverat, ac illud conatus erat pro virili probare, non eſſe Epiſtolam ad Piſones temere perſcriptam, ſed numeris omnibus abſolutam poeticam, quæ ratione ac via ordinate procedat; eodem anno Riccobonus opuſculum edidit in calce commentarii ſui ad artem Poeticam Ariſtotelis, in quo, ſuppreſſo nomine Colonii, non ſolum oſtendit adverſum eundem (quem docti viri tantum vocabulo circumſcribit) ſibi longe aliter videri de Horatiana methodo, ſed ipſe etiam eidem Poeticæ novam prorſus faciem, ac juncturam adſcribit. An rem acu tetigerit, judicium eruditiorum eſto, quorum oculis tentamen hoc ipſum Riccoboni ſubjiciam, ſimul ac illud Heinſii, ut alterius cum altero collatio inſtitui poſſit, & dijudicari, utrum ego amore magis patrii ſoli, an veritatis ſtudio ducar, ſi libere præ me feram, Riccoboni inveſtigationem, ac laborem multis nominibus ſibi palmam præripere, ac multo propius accedere ad veriſimilitudinem, quam Heinſii conatus, in quo vix quicquam inſigne præter

con-

confidentiloquentiam. Jactat enim ſe inſtar Pythiæ vatis cœleſti numine fuiſſe afflatum, ut tale quid conciperet, & executioni mandaret, & nationibus omnibus præſertim Italæ convicia dicit, quod implexum involutumque ordinem hunc non ſubodorati fuerint, nec manus operi admoverint. Credere par eſt, Opuſculum hoc Riccoboni non ipſius oculis oblatum fuiſſe, aliter non modeſtiæ modo, ſed etiam fidei jura fregiſſet. Utriuſque igitur hominis experimentum ad trutinam revoca, erudite Lector, & ſi tibi Riccobonus magis arridet, cujus lucubrationem, quæ tametſi Patavii edita, rariſſima tamen eſt, tibi propino, non tam mihi, quam Clar. Sibiliato gratiam habeto, qui mihi non modo rem totam patefecit, ſed etiam libellum tradidit typis cudendum, ut ne italus homo debita laude, poſteritas jucunda utilitate fraudetur.

Anto-

Digitized by Google

Antonii Riccoboni a quodam Viro docto diſſenſio de Epiſtola Horatii ad Piſones : Quæ nullam quidem methodum habere, ſed ad methodum redigi poſſe oſtenditur.

Ad Illuſtriſſ. & Eccellentiſſ. Principem Alexandrum Eſtenſem.

Ad doctrinam Ariſtotelis de Poetica compendio expreſſam amplitudini tuæ dicato, accedet hoc judicium de Epiſtola ad Piſones Horatii illius tui, cujus præclara Carmina tam ſæpe in manibus, & in ore habes, cujus plane aureas ſententias ad verbum edidiciſti, & maxima tua cum oblectatione memoriter recitare conſueviſti, ex cujus fontibus utiliſſima ad vitæ inſtitutionem præcepta non minus, quam ex Philoſophorum penetralibus quotidie hauris. De quo tantum abeſt, ut aliquid hac diſputatione mea detractum velim, ut potius occultiora Ariſtotelis decreta in eo latere oſtendam. Tantum id, quod ſentio, libere aperio, noluiſſe eum tali epiſtola perfectam artem conſcribere, ſed ſolum de quibuſdam ad artem pertinentibus Piſones amicos ſuos certiores facere. Qualis autem ſit hæc ſententia mea tu, Generoſiſſime Alexander, cum viris doctis judicabis, meque, ut amas, amabis.

Quum ad me perlatum eſſet, quendam Virum doctum non ſolum commentarios in Methodum analyticam Ariſtotelis polliceri, hoc unum ſpectantem, ut rectam aperiret viam intelligendi, quæcumque Methodice ſcripſit Ariſtoteles, ſed etiam edito commentario, qui eſſe tanquam excurſor ad exploranda virorum doctorum judicia, &, ut cognoſci poſſet, quid ſpei eſſet reliquum, docere methodum Q. Horatii Flacci in Epiſt. ad Piſones:

nihil

nihil antiquius habui , quam ut , quam Epiſtolam nullam prope Methodum habere exiſtimarem , ejus Methodum ab eo obſervatam perdiſcerem ; ſimulque conjecturam facerem de iis multis , quæ ipſe ſe editurum profiteretur : cumque totum commentarium perlegiſſem (liceat verum aperire) tantum abeſt , ut mihi fuerit perſuaſum , quidquam Methodice ab Horatio fuiſſe traditum , ut potius in priſtina mea ſententia ſim confirmatus , talia poetica eſſe conſcripta non in formam artis , quæ totum aliquod , ſeu genus notaret , & in ſuas partes divideret , ac in quædam quaſi membra diſpertiret , propriamque cujuſque vim definitione declararet , atque ſuis præceptis adornaret ; ſed in modum Epiſtolæ , quæ ſat habet , ſi quid de nonnullis rebus ſentiat Scriptor , etiam ſine ulla exacta ordinis obſervatione plane id exponat . At vetus inſcriptio eſt , de Arte Poetica , *quam quidem inſcriptionem Quintilianus , Priſcianus , Diomedes , Donatus agnoverunt . Hic , ut omittam , quamvis daretur , hanc Epiſtolam eſſe artem quandam poeticam , tamen , ſi veſtigiis Ariſtotelis inſiſtamus , nunquam citantis librum ſuum in hunc modum* de Arte Poetica , *ſed tantum* de Poetica , *&* de Poeſi , *ut in hujuſmodi citatione idem ſit Poetica , & Poeſis , videlicet poeticæ materia , & poetæ opus , non ſatis probari nonnullis hanc inſcriptionem* de Arte Poetica , *ubi non tractetur , quomodo ars Poetica ſit conſcribenda , ſed quomodo Poeſis conficienda : ut , inquam , hanc ſubtilitatem prætermittam , quam ex Latinis multi parum cognoſcere viſi ſunt , puto non ita Horatium inſcripſiſſe , ſed iſtos veteres Scriptores plus fortaſſe , quam oportebat , tali Epiſtolæ tribuiſſe . Quum autem duæ ſint Methodi , una , qua totum quiddam ſuas in partes reſolvimus , quam* reſolventem *appellant , altera , qua partibus acceptis totum ipſum exædificamus , quam* componentem *nominant , ad quas fruſtra Galenum adjeciſſe* definientem , *qui-*

dam

dam obſervarunt, cum hæc a reſolvente *nihil diſferat, quod res ipſa definita reſolvatur per definitionem in partes ſuas; videtur vir doctus ſignificare Methodum reſolvendi, dum proponit oſtendendum, huic Methodo ſubjectum genus cum ſuis ſpeciebus, & quæ ſingularum virtus, & quæ ſingulis propria accidunt, quomodo in hoc libello pulcherrime comprehenſa ſunt: & exponit, hoc ſubjectum genus eſſe fabulam, cujus quatuor ſunt ſpecies, Epica, Tragica, Comica, Satyrica. itaque ſignificat, Methodum reſolvendi, ut reſolvatur fabula in ſuas ſpecies, & poſtea de ſingulis præcepta tradantur, hocque modo negotium poeticum perficiatur. Et vero, ſi ſic ageretur, nihil eſſet magis Methodicum, quam hæc ipſa Epiſtola Horatiana. Sed, cum alias oſtenderim, quæ ſit materia ſtrata Poeticæ, quæ forma, quod ſubjectum adæquatum, ut nunc dem ſubjectum genus ipſius Poeticæ eſſe fabulam, quæ a Philoſopho vocatur finis poeſis, & principium, & tanquam animus; hoc ipſum genus poſtea vir doctus trahit ad ſpeciem, cum, quidquid dicitur de fabula in prioribus carminibus triginta & ſeptem, id totum de fabula Epica intelligendum eſſe contendat, contra eos, qui putarunt, nihil tradi de Epopœja; hac utens ratione, quod, quamquam hoc primum præceptum comprehendit fabulas omnes, Epicam, Tragicam, Comicam, Satyricam, tamen, quoniam non tam facile peccari poteſt in reliquis tribus, ſicut in Epica fabula componenda, quæ eſt opus longum, cujuſque longitudo proprie poſita eſt in Epiſodiis, brevitatis cauſa, quæ eſt præcipua virtus in docendo, tale præceptum exponitur, in ejus compoſitione fabulæ, quæ eſt omnium difficillima, & in qua facile peccari poteſt. Sciendum enim eſt, inquit, Epiſodia, (quod vocabulum ſignificat rem foris aſſumptam ad delectandum) habere locum in fabulis, licet non ſemper, nec in omnibus, ſicut ſunt Tragœdiæ ſimpli-*

ces,

ces, & Comœdiæ, & Satyræ, quæ non egent Epiſodiis, & in quas non recte inducuntur; cum vero inducuntur apte, ut in fabulas, quas vocat Ariſtoteles implexas, quæ habent peripetias, i. e. rerum eventus inopinatos, & agnitiones non expectatas, ſunt ejuſmodi Epiſodia in his fabulis & pauca & brevia. At in Epica fabula ita ſunt & multa, & longa, ut propterea opus Epicum vocetur Polymythion, ideſt multis refertum fictis fabulis. Hæc vir diſertiſſimus, qui (ſi licet fateri, quod ſentio) mihi videtur probare contra Methodum Analyticam notum per ignotius; & fortaſſe, ut videbimus, verum per falſum. Quod nullo (ita deum teſtor) refellendi ſtudio, ſed tantum veritatis cauſa notatum volo. Notiſſimum enim, atque exploratiſſimum eſſe, fabulam Epicam, tanquam cæteris longiorem, eſſe omnium difficillimam, etiamſi Ariſtoteles ei fabulam Tragicam præferat, non ſolum quia Tragœdia præter fabulam, mores, ſententiam, dictionem, quæ etiam ſpectantur in Epopœja, habet armoniam, & apparatum; & quia Tragœdia affert majorem purgationem perturbationum, quam Epopœja, verum etiam, quia illa habet conſtitutionem breviorem, hæc longiorem, & quod ſtrictius eſt, jucundius eſt, quam id, quod multi temporis mixtionem habet; illaque continet fabulam magis unam, hæc minus unam; cum ex qualicumque imitatione Epica plures Tragœdiæ conficiantur. Tametſi igitur ex ſententia Philoſophi fabula Tragica eſt præſtantior Epica, non eſt tamen dubitandum, quin hæc ſit longior, & propter longitudinem difficilior. Hoc nihilominus probat Vir doctus per id, quod maximam habet dubitationem; quoniam, cum Epopœja poſita ſit in Epiſodiis multis & longis, aliis fabulis vel non conveniunt Epiſodia, ut Tragœdiis ſimplicibus, & Comœdiis, & Satyris: aut conveniunt quidem, ſed pauca, & brevia, ut illis fabulis, quæ implexæ ſunt. Quod quale

le ſit, breviter videamus. Ain' tandem Epiſodia non congruere fabulis ſimplicibus, ſed tantum implexis? primum quid intelligis per Epiſodia? deinde quo auctore uteris in hac præclara præceptione tua? Epiſodii vocabulum, inquis, rem foris aſſumtam ad delectandum ſignificat. At hoc nimis univerſe traditur. certum enim eſt, quod alii obſervarunt, accipi Epiſodia apud Ariſtotelem in libro de Poetica quatuor modis: primum, quæ partim anteceſſerunt Actionem fabulæ, partim conſecutura ſunt, & in ipſa Actione repræſentantur; in qua ſignificatione locutus eſt Ariſt., ubi ait, Homerum, cum abſtuliſſet unam partem, Epiſodiis uſum eſſe multis, ut navium catalogo, & aliis Epiſodiis, quibus diſtinguit poeſim. deinde, quæ, cum evenerint tempore Actionis, & ſint pars ipſius, in loco longinquo acciderunt, & per nuncium populo nota fiunt, dicunturque propria Epiſodia fabulæ, ut ubi tradit Philoſophus, conſiderandum eſſe, quando erunt propria Epiſodia, ut fuit in Oreſte inſania, propter quam captus eſt, & ſalus per expiationem. Præterea quæ inventa ſunt a poeta ad oſtendendam naturam facti, quod ſummatim tantum cognoſcitur, ut ubi idem præcipit, ſabulam non oportere eſſe Epiſodicam, in qua Epiſodia neque veriſimiliter, neque neceſſario nexa ſint. Poſtremo, quæ ſunt ſecundus, tertius, & quartus actus fabulæ, ac tribus ſuperioribus Epiſodiorum generibus replentur, uti ubi definit Epiſodium partem integram Tragœdiæ interjectam inter integros Choricos cantus. Jam ſi loquamur de primis, ſecundis, & tertiis Epiſodiis, nulla cauſa eſt, cur ſimul & fabulæ ſimplici, qualis eſt Prometheus Æſchyli, & fabulæ implexæ, qualis Œdipus Sophoclis, non poſſint convenire; & non ſolum ſimplicibus Tragœdiis, ſed etiam Comœdiis, & Satyris, cum Ariſtoteles det ſimpliciter omnibus Dramatibus Epiſodia, quamvis non tam longa. Quarta vero Epiſodia ſunt propria Tragœdiæ-

gœdiarum, & Comœdiarum, ſive contineant fabulam ſimplicem, ſive implexam. At paulo poſt ſcribit vir doctus, docere Ariſtotelem, videlicet de peripetia, & agnitione, in aliis fabulis aut nullum Epiſodium adhiberi, aut unum, vel ad ſummum alterum, intelligens, in ſimplicibus nullum adhiberi, in implexis pauca. Certe, ſi id doceret Ariſtoteles, magnum eſſet momentum. ſed afferenda erant verba Philoſophi, ut id perſuaderetur. Non ſunt autem, credo, allata, quia nuſquam (quod ego viderim) tale quidpiam tradidit, neque ubi definivit peripetiam, & agnitionem, in præcepto de fabulis ſimplicibus ſine peripetia & agnitione habentibus unum fortunæ tenorem, ut eſt Prometheus Æſchyli perpetuo miſer, & de fabulis implexis cum peripetia & agnitione, habentibus mutationem ex proſpera in adverſam fortunam, ut eſt Œdipus Sophoclis, neque alibi, ut mirum ſit, virum doctum ita memoria lapſum eſſe. Niſi forte (quod vix credere poſſum) ſpectavit eum locum, ubi legitur: Simplicium autem fabularum, & actionum Epiſodicæ ſunt peſſimæ. Quaſi ibi tradatur, ſimplices fabulas Epiſodia habere non oportere. Sed primum nonnulli putant, legendum: Simpliciter autem fabularum & actionum &c. ut Ariſtoteles loquatur non de fabulis ſimplicibus, ſed de fabulis ſimpliciter, & univerſe. Deinde, ſi legatur, ſimplicium, non intelligunt viri docti fabulas ſimplices hoc in loco, quatenus ab implexis diſtinguuntur, ut ille intellexit; nec quatenus ſecernuntur a duplicibus, duo contraria perſonarum genera continentibus, partim bonarum, partim malarum; ſed quatenus differunt a multiplicibus actionibus, & multarum perſonarum; ita ut eadem fabula eſſe & ſimplex ideſt unius actionis, uniuſque perſonæ, & implexa, ideſt cum mutatione ex una in alteram fortunam ſine dubio poſſe videatur. Poſtremo, ſive ſignificentur ſimplices, quæ non ſunt implexæ,

quod

quod falſum putamus, ſive alio modo, ut intelligi oportere nobis ſine ulla noſtra dubitatione perſuademus, cum tradatur, ſimplices fabulas non debere eſſe Epiſodicas, non tamen idcirco a ſimplicibus excluduntur Epiſodia, explicante Philoſopho, quas intelligat Epiſodicas, ſcilicet non eas, quæ habent Epiſodia (ſic enim omnes eſſent Epiſodicæ) ſed in quibus Epiſodia nec veriſimiliter, nec neceſſario nexa ſunt. Cogitandum igitur eſt, quomodo illud poſſit conſiſtere, Epiſodia non congruere ſimplicibus fabulis, ſed tantum implexis, quamvis pauca & brevia, cum fabulis Epicis multa, & longa conveniant; quod oſtendit difficultatem Epopœjæ: & an nova hæc ars Methodo Analyticæ reſpondeat, ut, quod notum eſt, nempe fabulam Epicam eſſe cæteris longiorem, atque difficiliorem, probetur per ignotum, & falſum, quod cum Epopœja tota poſita ſit in Epiſodiis, aliæ fabulæ vel nulla habeant Epiſodia, ut ſimplices, quod falſiſſimum eſſe arbitramur, vel pauca, & brevia, ut implexæ, quod verum eſt de omnibus fabulis Dramaticis, non de ſolis implexis. Quid? quod paulo poſt ipſemet aliis fabulis nonnulla tribuit Epiſodia, tanquam partes, ne ſimplicibus quidem exceptis, idque ſe poſtea ſuo loco declaraturum pollicetur, etiamſi nondum id declaraverit? ſunt, inquit, Epiſodia pars fabulæ etiam in aliis fabulis: in Epica vero ſunt, ut ita dicam, totum ipſius fabulæ, id quod poſtea ſuo loco declarabitur. Accedit, quod non ſatis mihi probatur illud, quod ipſemet facit, ut quatuor tantum poeſes enumeret ex doctrina Horatii, cum ſatis clara, & aperta fiat ab hoc mentio ſex poematum, Heroici, Elegiaci, Jambici, Comici, Tragici, Fidibus accommodati, quod Cicero Melicum nominavit, quodque fortaſſe Poeſes a Philoſopho commemoratas Dityrambo-poeticam, & Poeſim Nomorum comprehendit; adeo ut ſi dicatur Elegam ſub Heroico vel Epico contineri, & Jam-

B 2 *bicum*

bicum reduci ad Comicum & Tragicum: magis ſortaſſe omitti potuerit Satyricum, quod quidem ad Tragicum referri poteſt, quam Melicum.

Jam vero videamus an de ſingulis poeſibus Methodice ſit diſputatum: quod ſine dubio factum fuiſſet, ſi quæ ad ſingulas pertinent tum partes conſormantes, tum partes quantitatis, tum cætera omnia ſingularum propria, exemplo Ariſtotelis unum in locum fuiſſent conducta, & ſingillatim explanata. Sed tantum abeſt, ut id factum ſit, ut omnia potius nullo prope ordine ſervato tradita ſint, & quaſi, quidquid in calamum Scriptoris incurreret, id litteris conſignatum eſſe videatur. Age enim. Epopœja ſuis erat præceptis inſtruenda. nonne primum agere oportuit de ſabula Epica deinde de moribus, de ſententia, de dictione, deque hujuſmodi rebus, quæ quidem eam conforment? Nonne aliquid tradendum de partibus quantitatis? Qua materia pertractata, nonne opera erat convertenda ad Tragœdiam, ad Comœdiam, ad Satyram, & de ipſis ſingillatim agendum, addendo Melopœjam, & Apparatum, quibus partibus caret Epopœja? Hæc ſine dubio fuiſſet pulcherrima Methodus: hæc Methodica pertractatio: hæc ars perfecta, & Methodice tradita. Verum quid factum eſt? primum de ſabula Epica, deinde de dictione Poetica: rurſus de ſabula: inde de ordine: rurſus de dictione: poſtea de generibus carminum, & de triplici genere dictionis: inde de moribus Comicæ, & Tragicæ perſonæ: rurſus de ſabula Epica, de partibus quantitatis, de perſona divina, de numero perſonarum, quæ inter ſe colloquuntur, de choro, de Melopœia: inde de ſabula Satyrica. Quid eſt perturbate agere, ſi hoc non eſt? Quæ vero ſequuntur, vel ipſa ordine turbato ſunt tradita, de jambo, & ſpondæo: de Plautinis numeris, & ſalibus: de origine, & incrementis Tragœdiæ, & Comœdiæ: de ſtultitia quorumdam Poetarum: de

ſa-

ſacto Horatii ſungentis vice cotis : de inventione , elocutione , decoro poetico manante a Philoſophia : de Græcis & Romanis : de fine Poetarum : de fabula veriſimili : de erratis Poetarum : de perfectione Poeticæ : de laudibus Poeticæ : de natura & arte : de arrogantia Poetarum : de ſincero judice : de malis Poetis : in quibus omnibus cum diffideret vir doctus, ſe poſſe rectam Methodum commonſtrare , ſic ſcribit : Quæ ſequuntur , partim ſecundo veluti loco Methodum ſuſceptam attingunt , ut de ortu & laude Poetices , de vetere Comœdia , & nova , de latinis prætextis , & togatis , cujuſmodi debeat eſſe mendacium fabulæ , partim a re non aliena monent Poetas latinos . Talia igitur vel ipſo teſte non ſunt Methodice tradita , ſed ad ea , quæ Methodice tradita ſunt , aliquo modo pertinent . Itaque vel ex ejus ipſius teſtimonio dimidia fere pars hujus Methodi Horatianæ Methodo caret . Jam quid magis alienum a Methodo eſt , quam cum agitur de ſabula Epica , inſerere præceptum de Carminibus , & Oratione Poetarum ? At eſt obiter traditum . At iſtud obiter eſt contra naturam Methodi . Nam , quod poſt ſabulam Epicam , & dictionem Poeticam fit tranſitus ad ordinem , & elocutionem , clamat quidem is nihil hoc ipſo poſſe eſſe magis conſequens , & magis indicare hæc Methodice tradi : Sed facilius ei aſſentiri poſſemus , ſi de fabula finita eſſet præceptio , & poſtea ageretur de ordine , & de elocutione , & non rurſus de fabula , & non rurſus de elocutione , quæ exprimit mores , & non omnino perturbaretur ordo ipſe tractandi . Quamquam Ariſtoteles poſt ſabulam ante dictionem ornat mores , & ſententiam . Hoc autem , quod efficere non potuit vir doctus , ut Methodum ea in re indicaret , quæ non habet , pace ipſius experiamur nos , an id aliquo modo præſtare queamus , ut ad Methodum redigamus ea , quæ ſine Methodo idcirco complexus eſt Horatius , quoniam Epiſtolam ſcri-

bebat, & non artem; quam ſi conficere voluiſſet, veriſimile eſſe eum incepturum fuiſſe ab univerſalioribus, & progreſſurum ad minus univerſalia, uſurumque tali aliquo ordine, quem modo exprimemus. Etenim primum Poetica erat laudanda, ut ab Ariſtotele laudatur Rhetorica ante præcepta, & ſimiliter fit ab aliis multis: quoniamque laus Poetæ poteſt provenire aut a Natura, aut ab Arte, aut ab utraque, idcirco talis quæſtio erat aperienda: ſimulque reprehendendi illi, qui volunt videri furore perciti, in quorum eſſe numero Horatius nolebat. Deinde oſtendendum, Poetæ opus, & poeſim, ſeu poema rem quamdam excellentem eſſe oportere; ipſumque Poetam non in una parte poematis, ſed in toto opere excellere debere: atque hujuſmodi excellentiam in inventione, in elocutione, in decoro poetico a philoſophia petendam eſſe: in re autem poetica magis Græcos, quam Romanos excellere potuiſſe. Præterea erat aperiendus finis Poetæ: enumerandaque Poematum genera: Quibus univerſe explicatis ad imitationem Ariſtotelis, ſi non in ſingulis Poematum generibus, at certe in præcipuis quibuſdam oportebat perpendere tum partes conformantes, quæ ſunt ſex, fabula, mores, ſententia, dictio, Melopœja, apparatus, quamvis non omnes omnibus convenientes: tum partes quantitatis, quæ ſunt quatuor, prologus, Epiſodium, exodus, Choricum, non omnibus itidem congruentes, & quemadmodum in fine libri ſui Ariſtot. egit de reprehenſionibus, & excuſationibus Poetarum, ſic denique oſtendendum erat, quibus Poetarum erroribus eſſet ignoſcendum, & quibus non ignoſcendum, ac quomodo de poematibus ſincerum judicium ſit requirendum, malique Poetæ a prudentibus fugiantur. Convertatur igitur ordo hujus Epiſtolæ Horatianæ, eaque Methodo carens ad aliquam Methodum redigatur.

Primo loco ponantur verſus 28. Sylveſtres homines

nes ſacer &c. (a) *ubi primum laudatur Poetica, quod Poetæ olim homines a fera, incultaque vita ad mitiorem hanc, quæ nunc vivitur, traduxerint; bellaque & res geſtas ſummorum Imperatorum ſcripſerint; quod verſibus oracula reſponſa ſint; politioris vitæ ratio monſtrata; Regum amicitiæ comparatæ, ludi inſtituti; quod feſſas hominum mentes Poetica reficiat, ac recreet. Deinde, utra magis Poeticæ conferat, Natura ne an Ars, in controverſiam adducitur, reſque diſcutitur, quod utraque opus ſit, ut quis in Poetica excellat: traditurque Naturam Arte & Studio excolendam eſſe, atque adjuvandam, & propoſito nobis curſorum, & tibicinum exemplo, reprehenditur vitium, quo malunt homines neſcire, quam ab ullo diſcere. Quemadmodum autem Orpheus nominatur ſacer interpreſque deorum, & vates, ac Poetæ dicuntur divini: Sic Ariſt. in arte Poetica ſcribit boni ingenii Poeticam eſſe, vel furore perciti: quod vero in illa verba* ſit tibi Muſa lyræ ſolers, *notant quidam interpretes, Ariſt. in Poetices libro ponere inter Poeſes Auleticam, & Cithariſticam, obſervandum eſt, nunquam Philoſophum appellare Poeſes Auleticam, & Cithariſticam, ſed artes imitandi, & artes, in quibus faciunt imitationem: eumque aperte diſtinxiſſe Auleticam a Poeſi in Rhet. ubi legitur, præmiſſum eſſe principium Orationis, quemadmodum in Poeſi Prologum: in Auleſi proaulium: Quod attinet ad cauſas Poeticæ, Ariſtoteles ſcribit, duas cauſas ejus fuiſſe, eaſque naturales, nempe Imitationem, & Armoniam; laudatque Homerum, quod excelluerit in fabula una efficienda, aut propter artem, aut propter naturam. Nos vero alibi notavimus, ſi ſpectetur id, quod perfectum eſt, nihil valere artem ſine natura, vel naturam ſine arte: Si id, quod minus indiget altero, plus valere naturam, quam ar-*

(*a*) nempe a verſu 391 uſque ad 418 incluſ.

artem: Si id, quod in homine poteſt eſſe perfectius, plus artem quam naturam. Et conjungantur verſus 14 ingenium miſera &c. (b) *ubi cum Democritus Philoſophus naturam requiri in Poeta, & ſurorem quemdam, non artem diceret, quoniam ſi ejus ſententia plauſibilis eſſet, fruſtra tam multa de Poetica præciperentur, ipſe Democritus irridetur, & ii omnes eluduntur, qui Democriticos ſe eſſe fingentes, ut boni Poetæ viderentur, omnem artem etiam in nitore corporis ſpernebant: illudque diſputatione conficitur, licet Horatius ſummus Poeta non ſit, (quod ejus modeſtiæ tribuendum eſt) ſatis tamen eſſe, ut ea doceat, quæ neceſſaria videantur.*

Secundo loco verſus 25. Ut Pictura Poeſis &c. (c) *ubi duo genera Poeſis, & Picturæ ponuntur, quædam enim Poeſis eſt perfecta, & numeris omnibus abſoluta, ſimilis illi picturæ, quæ in luce quo magis ſpectatur, eo magis placet: quædam vero deterior, ſimilis illi picturæ, quæ tenebras amat, non lucem, & longius ſtanti aliqua ex parte placet, propius conſiſtenti riſum movet: & obſervatur juriſconſultos mediocres tolerabiles eſſe, Poetas, niſi ſummi ſint, explodi: & ſimilitudine probatur, Poetas eſſe omnino ſummos, atque excellentes debere, quod quemadmodum in conviviis lautiſſimis Muſica ſi concors non ſit, unguentum non beneolens, mel inſipidum, ac papaver, convivas offendunt; ſic Poemata, ſi excellentia non ſunt, non probantur; arrogantiaque indoctorum hominum increpatur, qui cum Poeticæ prorſus expertes ſint, carmina tamen facere conantur, quod in aliis artibus uſu non venit. Ariſtoteles etiam teſtatur in Poeta ſummam præſtantiam requiri, & omnia, vel plurima, & maxima, quæ ad perfectam quamdam naturam pertinere exiſtimantur. adduntur ver-*

(*b*) a verſu 295 uſque ad 308 incl.
(*c*) a verſu 361 uſque ad 385 incluſ.

verſus 10. Æmilium circa ludum faber &c. (d) *ubi cum ſint quidam Poetæ, qui, dum nobili in argumento rei propoſitæ verſantur, aliqua in parte excellunt, mox ubique frigeſcunt, & qui ſemel, aut iterum in aliquo ſe poematis membro probant, in reliquo corpore inepti exiſtunt, ab Horatio reprehenduntur exemplo Fabri ſtatuarii, qui in ſtatuis minimas partes, ut Capillum & unguem recte effingebat: in aliis corporis partibus nullo pacto bonus artifex videbatur. At non in parte tantum, ſed in toto poemate excellendum eſt. Præterea præcipitur, ut eas res aggrediantur Poetæ, quæ praſtare poſſint, cum unus non poſſit omnia, ſed id tractare debeat, ad quod ſe aptiorem cognoſcit. Notat Ariſtoteles, multos excellere in nexu, & plicatione Fabulæ; ſed male poſtea eam ſolvere: itaque non in utraque parte excellere, ſed in una, cum tamen in utraque quærenda ſit laus. Et de excellentia poetica petenda ex Philoſophia, & magis Græcorum, quam Latinorum propria, adjungantur verſus* 24. Scribendi recte ſapere eſt. (e) *Et verſus* 10. Nil intentatum noſtri &c. (f) *ubi primum inventio, elocutio, & decorum Poeticum manare dicitur ex fontibus Philoſophiæ, quæ de moribus, & Poetæ jubentur reſpicere exemplar vitæ, perinde ac Ariſtoteles tradit, imitandos eſſe bonos formarum fictores, ut, quemadmodum illi cum tribuant propriam formam, faciendo ſimiles, pulchriores fingunt, ſic Poetæ ſpectare debent morum pulchritudinem & ideam. Notaturque plus delectare res pulchras ſine verborum ornamento, quam verba ornata ſine rerum pulchritudine. Deinde Græci laudantur, qui ſapientiam ab eloquentia non disjunxerunt. Sed utramque complexi ſunt, reprehenduntürque Romani, qui pro-*

(*d*) a verſu 32 uſque ad 42 incl.
(*e*) a verſu 309 uſque ad 332 incl.
(*f*) a verſu 285 uſque ad 294 incl.

propter avaritiam liberos ſuos non in præclaris litterarum ſtudiis, ſed in Arithmetica, & Mercatura exercebant, cumque poſtea latinorum Poetarum ingenium laudetur, quod non ſemper Græcorum eſſe imitatores voluerint, ſed ipſi ex ingenio multa feliciter ſint aggreſſi: negligentia tamen eorum in expoliendis emendandiſque ſcriptis accuſatur.

Tertio loco de fine Poetarum verſus 2 aut prodeſſe volunt &c. (g) *Et verſus 6* : Centuriæ ſeniorum &c. (h) *& de generibus Poematum verſus* 13. Res geſtæ regumque &c. (i) *Alibi autem probavimus delectare eſſe finem Poetarum per ſe: prodeſſe vero, ut barbari loquuntur, per accidens. Genera vero Poematum enumerantur ab Horatio Epicum, Elegum, Jambicum, Comicum, Tragicum, Fidibus accommodatum. Sed Elegum ſub Epico comprehendunt: & Jambicum ſub Comico, & Tragico: ſuperiuſque notavimus male comprehendi a quibuſdam ſub Poeſi Fidibus accommodata Auleticam, & Citharisticam, quæ utuntur quidem numero, & harmonia, ut tradit Ariſtoteles, ſed non metris, ut idcirco a nomine Poeſium eſſe excludendæ videantur. Ad Tragicum quoque referri Satyricum Poema arbitramur, qua de re inferius. Ariſtoteles in ſua Poetica has nominat poeſes, Hymnos, Encomia, Dithyrambo-poeticam: Poeſim Nomorum: Epopœjam: Tragœdiam: Vituperationes: Jambicum Carmen: Comœdiam. De Auctore Jambici Carminis dubitatur, quoniam hic videtur affirmare Horatius, Archilochum inveniſſe tale Carmen: & tamen Victorinus, & Zetzes teſtantur, in Margite Homerum cum verſibus exametris uſurpaſſe etiam Jambicos, ſcilicet ante Homerum. Quod autem notat vir doctus priſcis temporibus teſte Ari-*

(*g*) verſus 333, & 334.
(*h*) a verſu 341 uſque ad 346 incluſ.
(*i*) a verſu 73 uſque ad 85 incluſ.

Ariſtotele alios fuiſſe Heroicorum Poetas alios Jamborum, & idcirco Jambum non eſſe intelligendum proprium Archilochi; non ſatis bonam habere conſequentiam videtur; nam & Archilochus fuit priſcis temporibus Jambicus Poeta. Ac ſubtiliter quidem is verbum proprio *non ad Archilochum, ſed ad verbum* rabies *referendum putat: tamen, ut talem ſubtilitatem minus probem, facit, quod conſilium Horatii eſt notare proprios Auctores Carminum, ut ſuperius fecit de præcipuo Auctore Epici Carminis, quem dixit eſſe Homerum, & Elegi Carminis, quem ſcripſit incertum eſſe. Sed fortaſſe, quemadmodum nominavit Homerum auctorem Heroici Carminis, ideſt præcipuum, & præſtantem, atque excellentem, etiamſi ante eum aliquot fuerint poetæ Epici non ita excellentes; ſic quamvis Homerus uſus fuiſſet verſibus Iambicis una cum Exametris in Margite, tamen cum eſſet magis heroicus, quam jambicus, eum nominare noluit tanquam auctorem jambici Carminis, ſed Archilochum, qui primus ſolis jambis uſus eſt, & in eo genere alios ſuperavit. Quod viris doctis judicandum relinquo. Imperfecte etiam idem notat, omnes, qui imitantur, non ſolum aliqua imitari, ſed aliquibus etiam rebus imitari. Dicendum enim eſt ex doctrina Ariſtotelis, imitari diverſis, diverſa, & diverſis modis, ideſt diverſis inſtrumentis diverſas, materias, diverſa imitandi ratione.*

Quarto loco, cum ſex ſunt partes conformantes Poeſim, fabula, mores, ſententia, dictio, Melopæja, apparatus, de Fabula Tragica, Satyrica, Comica, & Epica ponantur primum verſus 6. ignotum Tragicæ genus &c. (l) *ubi traditur, Theſpim inveniſſe Tragœdiam, Æſchylum auxiſſe. Deinde v.* 14. Carmine qui Tragico &c. (m) *ubi oſtenditur Saty-*

(*l*) a verſu 275 uſque ad 280 incluſ.
(*m*) a verſu 220 uſque ad 233 incluſ.

tyros a Tragicis ſuiſſe inductos, *ut Spectatores aliqua jucunditate reficerentur*; & *exponitur*, *quomodo*, *quove decoro inducendi ſint Satyri*, *ut*, *qui conjungit Satyram cum Tragœdia*, *nec nimium*, *ut Satyricus*, *ſe ſubmittat*, *nec nimium*, *ut Tragicus*, *ſe extollat*; *ſed modum ſervet*. *Quemadmodum autem miratur vir doctus explicatores exiſtimaſſe hic agi de Satyris inducendis inter actus Tragœdiarum*, *quæ communis eſt eorum opinio*, *ita ego miror*, *eum ita interpretari*, *ut Tragicus metamorphoſim faciat in Satyricum*; & *qui prius Tragicus erat*, *mox fiat auctor Satyræ*: *cumque ſatis aperte loquatur Horatius de Tragico*, *qui nudavit Satyros*, *i. e. introduxit eos nudos*, *ut temperaret gravitatem Tragœdiæ*, & *de Tragœdia indigna effutire verſus leves*: *eumdem intelligere*, *Tragicum nudaſſe Satiros*, *i. e. de Tragico factum eſſe Auctorem Satiræ*, *ſeparatim a Tragœdia*, & *Tragœdiam eſſe indignam effutire verſus leves*, *i.e. Tragicam perſonam in Satira*. *Quod quam recte*, *aliorum ſit judicium*. *Præterea ponantur verſus* 4. ſucceſſit vetus his Comœdia &c. (n) *ubi habetur*, *quomodo Comœdia vetus magno omnium applauſu excepta primum ſit*, *mox ob maledicta repudiata*. *Cum autem ex doctrina Ariſtotelis proprietates fabulæ ſint octo*, *nempe ut ſit tota habens principium*, *medium*, & *finem*, *juſtæ magnitudinis*, *una*, *poſſibilis*, *non Epiſodica*, *admirabilis*, *vel ſimplex*, *vel implexa*, *habens pathos*; *Quamvis debeat eſſe tota*, *non tanquam totum magnum*, *ut corpus*, *ſed tanquam totum parvum*, *ut caput*, *tamen in hoc toto parvo*, *quod incipit a mediis*, *vel ultimis*, *etiam prima* & *omnia ad totum magnum pertinentia Epiſodiorum loco interponuntur*, *de quo ordine ſunt verſus* 4. Ordinis hæc virtus erit &c. (o) *ubi præ-*

(*n*) a v. 281 uſque ad 285 incl.
(*o*) v. 42. 43. 44. 45.

Digitized by Google

præcipitur Poetam quædam nunc debere docere incipientem non a principio rerum geſtarum , ſed ab ultimis, ſeu mediis rebus : quædam nunc debentia dici, i. e. principia, quæ primum occurrunt, & idcirco videntur indoctis Poetis primum debere dici , differre alio loco referenda. Secunda proprietas eſt, ut ſit juſtæ magnitudinis, nec permagna , nec perexigua, de qua ſunt verſus 7. Nec reditum Diomedis &c. (p) *ubi traditur non omnia eſſe exprimenda , nec nimis longe initia eſſe repetenda , ne ſit nimis longa poeſis , ſed unam partem totam eſſe ita pertractandam,* primo ne medium, medio ne diſcrepet imum. *Tertia proprietas eſt , ut ſit una , de qua ſunt verſus* 13. Humano capiti cervicem &c. (q) *ubi agitur de ſabula una in univerſum : &, quamvis exempla afferrentur ſabulæ Epicæ, id fieret, quia exempla unius ſabulæ poſſunt valere ad naturam aliarum omnium comprobandam ; quemadmodum etiam Ariſtoteles in tradendis præceptis de ſabula Tragica , utitur exemplis Epicorum Poetarum , contendit tamen vir doctus agi de ſabula Epica, quinque præcipuis argumentis : primum quod Poeſis , de qua agit Horatius , nominetur liber, i. e. opus longum, cujuſmodi eſt Epicum Poema , quaſi per librum non poſſit etiam intelligi alia poeſis , cum ſit vel magnus vel parvus liber. Deinde quod illa verba , cujus vanæ fingentur ſpecies , nihil aliud ſignificare poſſint , quam operam adhibitam in fingendis inanibus Epiſodiis, ex quibus componitur Epica ſabula , cum in aliis ſabulis aut nullum Epiſodium adhibeatur , aut unum , vel ad ſummum alterum , ut docet Ariſtoteles de peripetia, & agnitione : & tamen per illa verba non magis ſignificantur opera adhibita in Epiſodiis Epicis, quam aliarum poeſium , cum ſit ſalſum aliis poeſibus aut nul-*

(*p*) a v. 146 uſque ad 152 incluſ.
(*q*) a v. 1. uſque ad 13 incluſ.

nullum Epiſodium convenire , aut unum , vel ad ſummum alterum , nec tale quidpiam uſquam ſcripſerit Ariſtoteles , ut ſuperius expoſuimus . Præterea quod dicatur audendi quidlibet *de Poeta Epico : quaſi idem non poſſit dici de aliis Poetis : Tum , quod hoc* Carmen , inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis *moneat , quæ præcipiuntur pertinere ad Epicum Poetam , qui ſolus initio profitetur , ſe de rebus gravibus , & magnis ſcripturum : quod eſt falſum , cum etiam Dithyrambici talem propoſitionem facerent , ut docet Ariſt. lib.* 3. *Rhet. , & ſimiliter alii gravium poematum Auctores . Poſtremo , quod amphoræ ſimile ſit opus Epicum magnum , & de rebus magnis : quaſi etiam amphora non poſſit ſignificare quodlibet aliud poema , cujus inſtituta conveniens magnitudo non perficiatur , ſed tanquam in urceum contrahatur . Verum de hoc non multum contendendum arbitror . Quarta proprietas eſt , ut ſit poſſibilis , de qua ſunt verſus* 3 *:* Ficta voluptatis cauſa &c. (r) *ubi traditur veriſimilia fingenda eſſe , non incredibilia prorſus . Quamquam tradit Ariſtoteles magis eligenda eſſe impoſſibilia , quæ veriſimilia ſint , quam poſſibilia , quæ non ſint perſuaſibilia , & ſæpe Poetam propoſitum habere veriſimile Agathonis , quod eſt veriſimile præter veriſimile . Et debet eſſe ita poſſibilis , ut cum difficilius ſit , fingere novam perſonam , quam ab aliis celebratam , non ſolum tractet ſecundum veriſimile facta ſingularia ab aliis pertractata , & orbe hiſtorico comprehenſa , ſed nullam moram faciens circa vilem patulumque orbem hiſtoricum , ſequatur univerſale ratione cauſarum , & modorum , & ipſius tractationis ,* ne verbum verbo reddat , *ut facit fida interpretatio . Qua de re ſunt verſus* 8. difficile eſt proprie &c. (ſ) *Quinta proprietas eſt , ut non ſit Epiſodica ,*

(*r*) v. 338, 339, 340.
(*ſ*) a v. 128 uſque ad 135 incluſ.

ea, *i. e. contaminata ſupervacaneis Epiſodiis*, *de qua ſunt verſus* 10. Inceptis gravibus plerumque &c. (t) *Sexta proprietas eſt ut ſit admirabilis*, *de qua ſunt verſus* 10. Nec ſic incipies &c. (u) *ubi præcipitur*, *admirabilitatem eſſe oportere magis in exitu quam in principio turgido & inflato*, *quale fuit principium Scriptoris Cyclii*, *i. e. ut communiter explicant*, *circumforanei*, *& Circulatoris*, *qui ſolebat ſuum Carmen in Corona recitare*, *quod quia facere conſuevit Antimachus*, *idcirco eum hic ſignificari*, *nonnulli putant*, *cum vir doctus nimis ſubtiliter explicat*, *qui in ſolo Cyclo*, *& orbe hiſtorico moratur*. *Addit Ariſtoteles*, *cumque fabula ſit vel ſimplex*, *quæ habet fortunæ mutationem*, *eam oportere eſſe magis implexam*, *quam ſimplicem*, *& habentem pathos*, *i. e. magnam aliquam perpeſſionem*, *& magnum malum*.

Quinto loco de moribus Tragicæ perſonæ ponantur verſus 9: Aut famam ſequere*:* (x) *Ariſtoteles ſimiliter ſcribit*, *Receptas fabulas ſolvere non licere*: *& Poetam invenire*, *ac traditis recte uti oportere*. *Et de moribus Comicæ Perſonæ verſus* 5. Intererit multum &c. (y) *Et de moribus cujuſque ætatis verſus* 26. Tu quid ego & populus &c. (z).

Sexto loco, *cum tradat Ariſtoteles ſententiæ tria eſſe munera*, *docere argumentis*, *movere affectus*, *amplificare*, *ſeu diminuere*; *de primo munere ſunt tres verſus*: Quidquid præcipies, eſto brevis &c. (a) *De ſecundo & tertio munere ſunt verſus* 18. Telephus & Peleus &c. (b).

Se-

(*t*) a v. 14 uſque ad 23 incluſ.
(*u*) a v. 136 uſque ad 145 incl.
(*x*) a v. 119 uſque ad 127 incluſ.
(*y*) 114. 115. 116. 117. 118.
(*z*) a verſu 153 uſque ad 178. incluſ.
(*a*) v. 335. 336. 337.
(*b*) a v. 96 uſque ad 113 incluſ.

Septimo loco de dictione Tragica & Comica ponantur verſus 10. Deſcriptas ſervare vices &c (c). *Et de dictione Plautina verſus* 5. At veſtri Proavi &c. (d). *Et de dictione Satyrica verſus* 17. Non ego inornata &c. (e). *& de jambo & ſpondæo verſus* 19. Syllaba longa brevi &c. (f). *& de dictione, quæ debet ſequi mediocritatem, verſus* 8. Maxima pars vatum &c. (g). *In quem locum notat vir doctus, non temere factum ſe putare, ut de brevitate ſic pronunciaverit Horatius in prima perſona* brevis eſſe laboro, obſcurus fio*: quia Horatius huic virtuti ſtuduit, & in eo plurimum excelluit. At ſi pronunciaſſet in prima perſona, ut ſe ipſum ſignificaret, notaſſet non virtutem, ſed vitium ſuum. Et de dictione ſimpliciter verſus* 27. In verbis etiam &c. (h).

Octavo loco de Melopœja verſus 18. Tibia non ut nunc Orichalco &c. (i).

Nono loco de apparatu, ſeu conſpectu, ſeu rebus in ſcenam introducendis, vel non introducendis v. 10. Aut agitur res in ſcenis (l).

Decimo loco de partibus quantitatis verſus 13. Neve minor, neu ſit quinto &c. (m). *Primum Actum appellat Ariſtoteles Prologum, i. e. partem integram Tragœdiæ ante Chori parodum: ſecundum, tertium, & quartum Actum vocat Epiſodium, i. e. partem integram Tragœdiæ, interjectum inter integros Choricos cantus: quintum Actum nominat exodum, i. e. partem integram Tragœdiæ, poſtquam non eſt Chori* can-

(*c*) a v. 86 uſque ad 95 incl.
(*d*) 270. 271. 272. 273. 274.
(*e*) a v. 234 uſque ad 250 incl.
(*f*) a v. 251 uſque ad 269 incl.
(*g*) a v. 24 uſque ad 31 incl.
(*h*) a v. 46. uſque ad 72 incluſ.
(*i*) a v. 202 uſque ad 219 incluſ.
(*l*) a v. 179 uſque ad 188 incluſ.
(*m*) a v. 189 uſque ad 201 inclus.

cantus, *Chorici vero duas partes facit*, *parodum*, *i. e. primam dictionem integri Chori*: *&* *ſtaſimum*, *i. e. cantum Chori ſine anapæſto*, *&* *trochæo*, *pedibus ad motionem parodi accommodatis*. *Commum autem nuncupat lamentationem communem Chori*, *&* *a ſcena*. *Addit Horatius*, *Numen non temere inducendum*, *&* *numerum Perſonarum in ſcena inter ſe colloquentium vix ternarium excedere debere*.

Undecimo loco de erratis Poetarum verſus 14. ſunt delicta tamen &c. (n). *Ubi monemur*, *ignoſcendum eſſe illi Poetæ*, *qui raro*, *non illi*, *qui ſæpe peccat*. *&* *de judicio aliorum exquirendo*, *ac multo tempore in emendatione ponendo*, *antequam ſcripta in lucem edantur verſus* 5. Id tibi judicium eſt, &c. (o). *&* *de arrogantia Poetarum adulatoribus adſcribenda verſus* 15. Ut præco ad merces &c. (p). *&* *de exquirendis hominum ingeniis*, *ne adulatio fallat*, *verſus* 4. Reges dicuntur (q). *&* *de ſincero judice verſus* 15. Quintilio ſi quid recitares &c. (r). *Et de prudentibus malum Poetam fugientibus*, *ut morbum*, *&* *peſtem verſus* 24. Ut mala quem ſcabies &c. (ſ).

Hæc eſt mea de Epiſtola Horatii ad Piſones ſententia; *qua tantum abeſt*, *ut ad magni Poetæ imminuendam auctoritatem ediderim*, *ut potius me oſtendere voluiſſe profitear*, *tametſi is methodice ſcribere in animo non habuit*, *contra quam quidam Vir doctus cenſuit*, *ex eo tamen*, *tamquam ex uberrimo omnis doctrinæ fonte*, *quæ Methodice traduntur*, *hauriri poſſe*. *Si quid autem profecero*, *gaudebo*: *ſin minus*, *me aliquid proficere ſtuduiſſe*, *ſat habebo*.

(Pat. apud Laurentium Paſquatum M. D. XCI.)

(*n*) a v. 347 uſque ad 360 incluſ.
(*o*) a v. 386 uſque ad 390
(*p*) a v. 419 uſque ad 433. incluſ.
(*q*) a v. 434 uſque ad 437. incluſ.
(*r*) a v. 438. uſque ad 452 incluſ.
(*ſ*) a v. 453 uſque ad 476 incluſ.

Excerpta ex Notis Danielis Heinſii in Ep. 2. Lib. 1, & in Ep. 2. Lib. 2, & in Ep. ad Piſones de Arte Poetica.

V. 32. *ep.* 2. *lib.* 1. Ut jugulent homines. *Hæc nullum hic habere locum facile videbit, qui Poetæ inſtitutum, finemque in tota hac Epiſt. conſideraverit, in qua Iliada, & Ulyſſeam, earumque utilitatem ex diviſione utriuſque operis expendit, atque examinat. Ac de Iliade prius, deinde de Ulyſſea, in qua primo Ulyſſem, a quo inſcriptio, a quo argumentum, qui denique, ut loquuntur Critici,* ὅλην ἐνταῦθα τὴν ποίησιν συστᾷ, totam conſtituit poeſim, *conſiderat. Secundo partim procos, partim & Phæacas, quos virtutibus illius, ac prudentiæ opponit. Quæ ſequuntur ab hoc verſu* ut jugulent homines *uſque ad illum* fingit equum *excluſive, prorſus aliena ſunt, ex diſputatione alia petita. Quod & exſcriptoris vitio, qui paginas tranſpoſuit, aut peſſime continuavit, eveniſſe, nulli dubitamus. Atque id verum eſſe, ubi ſuum iis locum aſſignabimus, patebit. De hoc tamen hic prius, qui ſic eſt conſtituendus.* Nos numerus ſumus *&c.* Sponſi Penelopes *&c.* in cute ſervanda &c. Cui pulchrum fuit *&c.* Ad ſtrepitum cytharæ *&c. quibus verſibus, poſtquam fœdiſſimas in procis, & Phæacibus perſtrinxit voluptates, earum cauſam educationem eſſe peſſimam oſtendit. Cujus rationem ante omnia habendam iſtis, quæ ſequuntur, quæ cum peſſime a cæteris divulſa ſunt, probavit.* Fingit equam &c. *uſque in finem. Cætera ad diſputationem* περὶ τῆς καθάρσεως, *hoc eſt ad primam referenda ſunt. In qua primum ſingula enumerantur vitia, in quibus emendandis ἡ κάθαρσις verſatur. Qualis avaritia,*

am-

ambitio, *iracundia*, *amor*. *Deinde virtus definitur* : *cujus comparandæ*, *quum nullam rationem habeant*, *cum lucri cauſa quidvis agant homines*, *exponit*. *Ut Mercator*, *qui vitandæ paupertatis cauſa ad extremos uſque Indos currit*. *Ut agoniſtæ*, *qui victoriæ parandæ cauſa in certamine Olympio decertant*, *ut latrones*, *qui nocte intempeſta ſurgunt*, Ut jugulent homines: *& lucelli quidem & exigui*, *& fœdi cauſa*. *Ac poſtremo*, *qua ratione ſingula*, *quæ ante enumerarat vitia*, *tollenda ac purganda ſint*, *exponit*. *De avaritia ibi* : Quæritur argentum &c. *item :* ſemper avarus eget *&c.* de invidia *ibi* : Invidus alterius &c. *De iracundia ibi :* Qui non moderabitur iræ Infectum volet eſſe *&c. Totus ergo locus*, *qui hic peſſime infarctus eſt*, *ad primam pertinet Ep. & ſic manifeſte connectendus fuit* (vide infra) *Quæ ita jam cohærent*, *ut mirum ſit de fœdiſſima tranſpoſitione in Poeta*, *tot jam annos trito*, *emendatoque ab omnibus*, *atque illuſtrato*, *nemini in mentem veniſſe*.

V. 87. *Ep.* 2. *lib.* 2. Frater erat &c. *Non ſum alienæ obtrectator operæ*. *Tamen tot præclariſſimas*, *ex quo renaſci litteræ cœperunt*, *animas*, *tot illuſtres viros*, *qui Auctorem hunc tractarunt partim*, *partim aliquid ad ejus emendationem operæ attulerunt*, *adeo non advertiſſe*, *quod in iſto loco tot ante annos factum eſt*, *ut de eo nihil*, *vel leviſſime ſuſpicarentur*, *admirari ſatis non poſſum*. *Ipſum Epiſtolæ argumentum*, *prout a veteribus conceptum legitur*, *nihil aliud*, *quam hoc eſt*. *Florum Horatio ſuccenſuiſſe*, *quod ab eo nihil litterarum acciperet : Horatium juſta uti excuſatione*, *quod ne id quidem ſe facturum promiſerit*. *Carmina autem ideo non mittere*, *quod Philoſophiæ incumberet*, *cum ante*, *paupertate adductus poetari cœpiſſet*. *Hæc ſi non verba*, *totius certe argumenti ſumma eſt*. *Primo enim ſe excuſat*, *quod non ſcribat*, *quia nec promiſit quidem* : *ſecundo Ro-*

me inter tot negotia, quæ luculenter hic deſcribit, poetari poſſe ſe negat: Tertio ætatem ſuam aliud jam flagitare ſtudium, oſtendit: Quarto hac occaſione, more ſuo, philoſophari paucis incipit cum Floro, & εἰς λήκυθον ſeu communem locum, ſic delabitur. Quæro ergo, qua occaſione hic artem poeticam doceat, qua occaſione imperitos Poetas, ſeu indoctos reprehendat. Quod, niſi fungi ſumus, in ſequentibus facit. Quæro præterea, quomodo inter ſe cohæreant iſta, nolle in poſterum Poetam, leges Carminis, ac modos ſequi, & duos quoſdam Romæ Fratres, alterum Rhetorem, alterum juriſconſultum fuiſſe, quorum alter alterum perpetuo laudaret? peto, ut, ſi qui has litteras aut intelligunt, aut hactenus tractarunt, rationem in conſilium advocent, ac diligenter hæc excutiant. Nam, quod primo forte fuerat dicendum, ne ſententia quidem eſt integra: Qui enim ita loquatur: Romæ Rhetor Frater juriſconſulti erat, ut alter alterum laudaret & honores meros attribueret? *aut ne verbis recedamus*, ut alter Alterius ſermone meros audiret honores: *Quis latinus Scriptor unquam ita eſt locutus? Quis ſanus dicat: Ego Orator, Frater meus erat Poeta: ut alter alterum ſemper laudaremus? & tamen idem eſt, quod hic ſcripſit Flaccus. ex quo cuivis jam appareat, neceſſe eſt, nihil minus, quam integram ſententiam eſſe. Quare ut efficeret, quod voluit, hoc aut aliquo ſaltem ſimili modo fuerat ſcribendum:* inſani ita demens Frater erat Romæ *&c.* Alterius ſermone *&c.* Gratus ut hic *&c. Præter quam igitur quod nulla ratione huc faciunt, manifeſtus eſt hiatus, & ſententiæ defectus. Sciat ergo lector, nihil unquam Pythiam dixiſſe verius, quam hos 56 verſus, qui de Poetis & poetica ſcribendi ratione agunt, hic inſertos eſſe, eoſque Poetæ mentem, & Epiſtolæ inſtitutum tot jam annos diviſiſſe peſſime, & interpolaſſe. Quod tum apparebit primum, ſi inductis illis reli-*

qua

qua continuemus hoc modo: heic ego rerum Fluctibus in mediis *&c.* Verba Lyræ motura *&c.* Nimirum ſapere eſt *&c.* Et tempeſtivum *&c.* Ac non verba ſequi *&c.* Sed vere numeroſque *&c.* *Nego quidquam eſſe in Scriptore iſto, quod cohæreat melius, aut tam neceſſarium ſit, quam ut illa conjungantur. „ Ut, inquit, reliqua omittam, fieri qui „ poteſt, ut in tantis urbis tumultibus (& enume- „ ravit omnes) verſum faciam, an hæc talia ſilen- „ tium requirant? Nimirum tale eſt, quod dixi, ut „ ab omni hoc ſtudio abſtineam, & has nugas pue- „ ris relinquam: neque modos verſuum, & numeros, „ verum ipſius vitæ ſequar, hoc agam, hic mentem „ habeam. „ Quare apage poetica præcepta, & id genus alia, quæ hic peſſime intexta erant. Quod ſi verſus iſti unde huc irrepſerint, ſcire quis velit, aliud jam agit: & in re incerta optime qui conjicit, ſicut in Tragœdia eſt, Vates erit optimus. Dicam ergo, quod ſentio. Horatium duas de Poetis Epiſtolas ſcripſiſſe certo eſt certius: alteram ad Cæſarem, alteram ad Piſones. In poſteriore, ſicut dedita opera Poetam informat, ita in priore Poetarum recentiorum cauſam agit contra veteres, & judicium exercet. Ita tamen, ut & ibi de officio Poetæ, & arte plurima intexuiſſe, ſit certiſſimum. Aliquam autem illius Epiſtolæ, aut, ut vocat Tranquillus, Eclogæ partem periiſſe, nobis tam certum eſt, quam meridie lucere. Quamquam id a nemine notatum fuerit, quod vel ex illis fiet manifeſtum.* Tanto cum ſtrepitu *&c.* Divitiæque peregrinæ *&c.* Cum ſtetit in ſcena *&c.* Dixit adhuc aliquid *&c.* Lana Tarentino *&c.* *Poſt hæc ita deinde ſubjungit*, Ac ne forte putes *&c.* Cum recte tractent alii *&c.* (verſus 2) *quibus profecto verſibus tantum de Poetis ſe judicaſſe, cum nihil minus egerit in præcedentibus: ſed contra de ludis, de ſpectaculis, de apparatu ludorum, & ſimilibus locutus fuerit. Nullam enim Poetarum*

inter tot ludorum ſtrepitus, clamores, ac plauſus haberi rationem queſtus fuerat. Ut nec Actoris, niſi qui ornatum tranſmarinum, ac divitias peregrinas ſecum traheret in ſcenam. De Poetarum autem ſcriptis nihil meminit, niſi multo ante quædam de Doſenno, ac Plauto. Quare ibi eſſe hiatum, certiſſimum eſt. Eſt & alius locus, ubi de Poetarum ineptiis agere propoſuit. Quod iſtis verſibus planiſſime tractavit. Quos ex ea Epiſtola mutilos, & laceros deſumtos eſſe, omnino nobis ſedet. Neque eſt, quod quiſquam dubitet, ante illos nimirum : ſed tamen eſt operæ pretium &c. *Num cum ante Poetarum deſcripſiſſet ineptias, ibi rurſus patrocinari illis incipit. Ubi commode omnia iſta inſeri poſſunt. Nos dicere audemus, totam hanc præclaram Epiſtolam deberi nobis.*

Ex Heinſii Notis in Ep. ad Piſones de Arte Poetica.

V. 86. Deſcriptas ſervare vices &c. *Non exiſtimo Pentheum a Bacchantibus Bacchis diſcerptum fuiſſe, prout accepta eſt præclara illa ac vere admiranda ad Piſones Epiſtola, ut profecto non immerito ſummi hujus ætatis viri, nullum ordinem in ea reperire ſe poſſe, verum cum ſtomacho, & Auctoris contumelia teſtati ſint : reliqui vero potius ἀκρισίαν ſuam, quam patientiam prodiderint. Quamquam in eo plures vehementer etiam priores peccaverint, quod librariorum fraudem, ac prope dixerim ſcelus divino Auctori adſcribere veriti non fuerint, cum pro lubitu ſuo iſti Carnifices omnia luxaverint, ac divulſerint, omnis plene ordinis ſecuri. Quod quo pacto factum hic potiſſimum fuerit infra alibi dicemus. Nunc vero in hoc ſtatim ſpecimen dabimus. Nam quare inter jambicos Poetas, Tragicos, & Comicos, qui ab Ariſtotele & aliis junguntur τῷ μέτρῳ, reliquis, ut ipſe oſtendit, differunt, Lyricos interponit? Deinde*

inde præceptum de obſervanda ſingulorum differentiæ non ad Lyricos Poetas, ſed ad Comicos, & Tragicos eſt referendum, ne; quia conjunguntur τῷ μέτρῳ, reliquis conjungi quoque exiſtimentur. Quod præceptum poſtea continuat, nunc fœde interrumpit (vide infra).

V. 202. Tybia non ut nunc *&c. egerat ſine dubio de antiquorum Choro, qualis fuit, cum nihil aliud, quam αὐτοσχεδίασμα eſſet Tragœdia, & nonnulla forte addiderat de Muſica. Sane aliquid de tempore ſuperiore, & ætate rudi intermiſerat, ut patet; quare manifeſtum eſt, lacunam eſſe relinquendam.*

V. 215. Tibicen, traxitque &c. *Cave hæc cum ſuperioribus conjungas, alteram enim μελοποιΐαν jam tractat, Tragicam nimirum, poſtquam de Comica egit. Tragœdiæ enim Cithara erat; quam in quodam ſuo Dramate ipſe Sophocles adhibuit, cum ob vocis tenuitatem καὶ τὴν ἰσχνοφωνίαν agere ipſe non poſſet.*

V. 275. Ignotum Tragicæ &c. *Hæc omnia συγκεχυμένα, indigeſta, confuſa, & tranſpoſita ſunt, ut nullum Chaos magis. Nam quamobrem poſt Plautum de Theſpide & Æſchylo? quare non inter Tragicos de utroque egit? Quare Æſchylo, & Theſpidi antiquam Comœdiam ſubjungit? Quare Tragœdiæ eam ſucceſſiſſe dicit? Quod & manifeſte falſum. Nam quid inter ſe commune habent? aut quo pacto e Tragœdia orta & vetus Comœdia? Quare poſt hæc rurſus ad Latinos abit? neque locum, qui de Plauto eſt, perſequitur? Sed poſt Æſchylum, & Theſpin, & Comœdiam antiquam pergit de Latinis judicare Comicis? Ibi enim de Prætextis, & Togatis, & earum auctoribus. Nam ut omnes Pædagogi analytici hic acumen explicent, nunquam ἀκολουθίαν oſtendent, nunquam turpi crimine Confuſionis ſummum Scriptorem liberabunt. Quam non minus vere, ſi editiones noſtras, quam acerbe, Criticus divinus*

Cæſar Scaliger objecit, non facturus, ſi rem totam diligenter excuſſiſſet. Viderat enim, quo judicio erat, non Poetæ id culpa, ſed librariorum accidiſſe, qui negligenter ſcriptum hoc eruditiſſimum, ut ſolet fieri, & faſtidioſe deſcripſerant; homines, aut pecora rectius, mercede conducta: alibi etiam pagellas male conjunxerant: Quod in multis falſum eſſe, nemo ignorat. Nos, qui primi, niſi fallor, ordinem, quem ſecutus eſt Poeta, ſumus odorati, totum locum, qui de Tragico, Satyrico, Comico poemate agit, ſicut ſcriptus a Poeta fuit, hic proponemus, ea lege, ut niſi accurate ſingula probemus, cauſam non dicamus, quin omnino nihil vidiſſe judicemur, modo judices non deſint ταῦτα τὰ ἱερὰ μεμνημένοι. Poſt ergo verſum illum ſortilegis non diſcrepuit &c. ubi de inventione ſingulorum, & quæ ſenſim acceſſit, perfectione in Comœdia & Tragœdia egit, ita ſuo & Poetæ ordine diſpone (vide infra) ſucceſſit vetus his Comœdia, Faunis videlicet, Satyris, aut Dramati Satyrico. Si vulgatam tranſpoſitionem ſequeris, Theſpidi, & Æſchylo vetus Comœdia ſucceſſit; quod ſi rectum eſt, multorum annorum anachroniſmum commiſerit Poeta, neque ab ἀνιστορησίᾳ excuſari poteſt. Æſchylus enim Theſpide inferior ætate, cum Olympiadem ſeptuageſimam & unam, ſi Euſebio ſtamus, Ariſtophanes, & Eupolis contra Octuageſimam octavam, aut, ut aliis videtur, ſextam egerit.... Quare cum in Satyris obſcœnitatem vitandam, & ignominiam jam monuiſſet, (nam hoc ultimum præceptum de Satyrico Poemate erat) Comicam Dicacitatem natam eſſe ex ea notat.... Sylvis deducti &c. (Vide infra).

V. 251. Syllaba longa &c. poſtquam de Comico, Tragico, Satyrico Dramate egit, de ea parte, quæ omnium illorum eſt communis, agit, de metro nimirum. Incipit autem a temporibus, e quibus primo conſtabant pedes.

V. 285.

V. 285. Nil intentatum &c. *Poſt judicium de Plauto reliquos latinos Comicos, qui Togatas, & Prætextas ſcripſerant, ſubjungit, non ut ante, poſt Æſchylum & Theſpin. Nam quid illis quæſo cum Plauto? & quid Comicis latinis, quos ſubjungit iterum, cum veteri Comœdia?* Cave *enim, hoc Horatium dixiſſe exiſtimes: Quod viri quidam eruditi voluerunt, qui connexionem hic quæſiverunt; in Prætextis, & Togatis veterem Comœdiam fuiſſe expreſſam. Sed ejuſmodi abſurditates multas e vulgata hujus Epiſtolæ editione naſci neceſſe fuit.*

V. 391. Sylveſtres homines &c. *Iterum hoc nobis perfidia dicam, an negligentia impoſuit librarii. Nam quare iſte locus peſſime divulſus eſt, qui de cura agit, & diligentia? Quem tot verſibus continuavit. Quare ſcito dictione Apollinari certius illa continuanda eſſe.* Si quid tamen olim Scripſeris, in Meti deſcendat &c. *uſque ad* neſcit vox miſſa reverti. *quam maxime cohærent. illa autem quæ ſequuntur de Poetis, plane eo referenda ſunt, ubi alterum, aut utrumque propoſitum eſſe illis dicit, ut delectent, & doceant. hoc modo;* aut prodeſſe volunt, *uſque ad* & idonea dicere vitæ. *Qui hæc recte ſe habere nondum videt, plane ſit ἀναίσθητος neceſſe eſt.*

Si vis Epiſtolam primam & ſecundam Libri primi, & ſecundam libri ſecundi, & Epiſtolam ad Piſones de Arte Poetica ordine, quo eas Daniel Heinſius diſpoſuit, exſcribere, vide ſequentia.

Ep. 1. lib. 1. *Prima dicte mihi* uſque ad verſum *cui ſit conditio dulcis* &c. ſunt verſus quinquaginta & unus. inde, ſequentur verſus duo & triginta Epiſtolæ ſecundæ ejuſdem libri, nempe: *ut jugulent homines* &c. uſque ad *imperat hunc frenis* &c. incluſive. deinde ſequentur verſus ſeptem & quinquaginta Epiſtolæ primæ, nempe *vilius argentum eſt* uſque ad finem, nempe uſque ad *Præcipue ſanus* &c. incluſive.

Ep. 2. lib. 1. *Trojani belli* &c. uſque ad *Ad ſtrepitum Citharæ* &c. numeranturque verſus hoc loco triginta & unus. Inde ſequentur verſus octo poſtremi: Nempe *fingit equum* uſque ad finem, nempe uſque ad *Nec tardum opperior* &c.

Ep. 2. lib. 2. *Flore bono claroque* &c. uſque ad v. 86. incluſive, nempe *verba Lyræ motura* &c. Inde ſequitur verſus 141 *Nimirum ſapere eſt* uſque ad finem nempe *videat & pulſet* &c. inde ſequitur verſus 88, nempe *Frater erat Romæ* &c. uſque ad *Et dentus per vim* &c. omnes verſus ſunt in eadem Epiſtola.

Ep. ad Piſones de Arte Poet. *Humano capiti* uſque ad verſum 78 *Grammatici certant* &c. incluſive. Deinde ponantur verſus tres, ſcilicet verſus 83. *Muſa dedit fidibus* &c. & 84 *& pugilem victorem* &c. & 85 *& juvenum curas* &c. deinde verſus quatuor, nempe 79 *Archilochum proprio* &c. & 80 *Hunc ſocci cepere pedem* &c. & 81 *Alternis aptum* &c. & 82 *Vincentem ſtrepitus* &c. deinde verſus quatuor, nempe 89 *Verſibus exponi* &c. & 90 *indignatur item* &c. & 91 *Dignis Carminibus* &c. & 92. *ſingula quæque* &c. Deinde verſus tres, ſcilicet 86. *deſcriptas ſervare vices* &c. & 87. *Cur ego ſi nequeo* &c. & 88 *Cur neſcire pudens* &c. Deinde verſus centum & viginti ſeptem, nempe verſus 93 *interdum tamen & vocem* uſque ad verſum 219 *Sortilegis non diſcrepuit* &c. deinde verſus ſex ſequuntur, nempe verſus 275 *ignotum Tragicæ* &c. uſque ad verſum 280 *& docuit magnumque* &c. Deinde ſequuntur verſus novem & viginti, nempe verſus 220

Car-

Carmine qui tragico uſque ad verſum 250, *æquis accipiunt* &c. deinde ſequuntur verſus quatuor, nempe verſus 281 *ſucceſſit vetus his Comœdia* &c. uſque ad v. 284. *Turpiter obticuit* &c. Deinde verſus quatuor & viginti, nempe verſus 251 *Sillaba longa brevi* &c. uſque ad *Legitimumque ſonum* &c. Deinde verſus quinquaginta, nempe verſus 285. *Nil intentatum* &c. uſque ad verſum 334 *Aut ſimul & jucunda* &c. Deinde ſequuntur verſus ſeptem & decem, nempe verſus 391. *Sylveſtres homines* &c. uſque ad verſum 407. *Sit tibi Muſa lyræ ſolers* &c. Deinde ſequuntur verſus ſex & quinquaginta, nempe verſus 335. *Quidquid præcipies* &c. uſque ad verſum 390. *Quod non edideris* &c. Deinde ſequuntur verſus novem & ſexaginta, nempe verſus 408 *Naturæ fieret* &c. uſque ad finem, nempe ad verſum 476 *Non miſſura cutem* &c. incluſive.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLA
AD PISONES
DE ARTE POETICA.

HUmano capiti cervicem pictor Equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris; ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne;
Spectatum admiſſi riſum teneatis, Amici?
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cujus velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:

Sci-

V. 1. Indicat caput pulchræ feminæ ad monſtroſum corpus conficiendum. *Mulier formoſa ſuperne*. Cum ea ſit Poetæ mens, ut Piſonem natu majorem ab edendis in lucem Tragœdis deterreat, quas longo ſtudio prius non caſtigaverit, optime & ad rem hac imagine monſtroſi operis utitur. Injuria igitur Riccobonus hunc locum alio tranſtulit.

V. 3. Qui legunt *aut* pro *ut*, putant, duas ridiculas imagines exhiberi ab Horatio, quarum prima hominis caput tantummodo habeat, altera vero dimidiam ſuperne partem feminæ. alii accipiunt *ut* pro *ſicut*, & legunt *deſinit*, opinanturque ſic tacite carpi deſcriptionem Homericæ Sirenis.

V. 6. Ægri ſomnia ſunt magis præpoſtera, quam ſani.

V. 7. Vanæ ſpecies ſunt imperfectæ imagines, aut res male congeſtæ, quæ in natura conſiſtere nequeunt.

V. 8. *Una forma* eſt quidpiam totum unius Naturæ. *forma* ſignificat ſpeciem rei, quæ conſtat ex genere, differentia, & proprietatibus.

V. 9. 10. Objectio.

Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim:
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
   Incœptis gravibus plerumque & magna profeſſis
Purpureus, late qui ſplendeat unus & alter
Adſuitur pannus: cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.
Sed non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. Quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Navibus ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Inſtitui: currente rota cur urceus exit?
Denique ſit quod vis, ſimplex dumtaxat, & unum.
Ma-

V. 11. Reſpondet objectioni. hæc verba *& hanc veniam* tribuit Dacierius malis Poetis objicientibus.

V. 12. Reſpondet iterum.

V. 13. *Geminentur*, i. copulentur.

V. 16. Judicio Theodori Marſilii, & Dacierii ſignificat nemus & aram Dianæ Nemorenſis, quam erectam ferunt ab Oreſte, qui poſuerat ſtatuam Dianæ Tauricæ a Scythia translatam occiſo Rege Thoante. Poetæ multa de hac ara canebant, de regione, ſacerdote, moribus &c.

V. 18. Fortaſſe feſſus erat audiendo, vel legendo, quæ multi Poetæ afferebant Rhenum deſcribentes in celebrandis Auguſti victoriis, ut Alpinus ille.

V. 20. Quid attinet cupreſſum pingere, cum is, qui te mercede conduxit, pingi velit in medio naufragio conſtitutus, ex quo vix evadat tabula nixus, fracta navi, & rerum omnium facta jactura? *enatat*, i. evadit periculo. *exſpes*, quia merces recuperare deſperat. Naufragi caſum ſuum in tabella pingi jubebant, quam deinde templo illius Dei marini ſuſpendebant, cui ſalutem ſe debere credebant, vel collo ſuſpenſam tabellam eam circumferebant, ad movendos pietate hominum animos, & ad impetrandam opem.

V. 23. Artis operi nihil inſit, quod impediat, quominus unum ſit.

Digitized by Google

Maxima pars Vatum, Pater, & juvenes Patre digni,
Decipimur ſpecie recti. Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. Sectantem lævia nervi
Deficiunt, animique: profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſylvis adpingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos:
Infelix operis ſumma, qui ponere totum
Neſciet: Hunc ego me, ſi quid componere curem

Non

V. 26. Hæc iterat Boileau in ſua Poetica verſibus ſex: *Qui ne ſçait ſe borner* &c. *lævia*, i. quidquid nimis molle, & expolitum eſt.

V. 28. Qui ſe tuetur nimium, qui nimis timet vitæ pericula.

V. 29. *Prodigialiter*, i. extra modum arbitrio ſuo uſus, quærens portenta dicere.

V. 31. Erroris unius metus nos conjicit in alterum, ſi artem ignoramus.

V. 32. *Imus*, i. poſtremus omnium, ineptus. denotat vulgarem quemdam ſtatuarium, qui infra Circum morabatur, prope locum, qui vocabatur Ludus Æmilii Lentuli gladiatoris. Hic ſtatuarius eleganter exprimebat capillos, & ungues, ſed omnibus in unum collatis tota ſtatua male vertebat.

V. 33. *Molles*, i. eleganter & concinne factos.

V. 35. Si vellem opus componere, non magis optarem me eſſe ſimilem huic homini, quam habere naſum deformem, & una pulchros crines, & oculos. Præcepta hactenus tradita id ſpectant, quod unum in re eſt. Sed, quia pleraque allegoriis obteguntur, declaranda ſunt. Una erit res, ſi omnes ejus partes ſibi invicem reſpondeant, ſi tam externæ, quam internæ æque perfectæ ſint, ſi demum rei nihil deſit, nihilque ſuperſit. Hæc præcipit: *partes eæ eſſe debent, quæ cohærere merito poſſint*. Id probat

a con-

a contrariis: en partes: pulchrum caput feminæ, equi collum, pes capreæ, tigris, corpus ovis, cauda piſcis. Si has partes copules, totum monſtroſum conſtitues. Non omnis igitur pars ita facta eſt, ut coire poſſit cum qualibet alia. Naturam imitare; quæ, ſi quando errat, & monſtra producit, ea tamen cautus evita; ſi ea quoque imitarere, morbo quodam laborares, vel inſania. *Poteſtas Poetarum quidlibet audendi coercenda eſt limitibus ſuis*. Poteſt artifex fingendo conjungere, quæ disjuncta ſunt, poteſt transferre, dilatare, imminuere aliquas partes, ſed tamen Natura duce. nunquam inſulas aere ſuſpenſas pinget, vel ſi hoc illi des, non tamen domos ponet urbibus majores, nec plantas, quæ radices in altum tollant, frondes humi condant: *non ut ſerpentes avibus* &c. Poetæ igitur rebus, quas pertractant, demere poſſunt quidquid injucundum eſt, & addere, quod jucundum, quominus cogantur verum ſequi. Ex vero deſumant materiem, ejuſque vacua impleant rebus fictis, ita ut partes vel fictæ vel veræ bene cohæreſcant, & rem unam componant, quæ naturalis videatur. *Forma debet eſſe una*. V. g. rem cœpiſti graviter & auſtere, deinde ſubito puerilibus deſcriptionibus vacas; lemniſcatam tunc rem profers, prætexis purpura telam. O quanta ſpecies! *ſed nunc non erat his locus*. uniformitas deſideratur. *Omnia ex rei viſceribus elicienda ſunt*. Quod enim unum eſt, ad rem velut ad centrum refertur. Deſcriptionibus polles; ſed rationum momentis nunc opus eſt. Pater, v. g. Patriæque ſervator obiit. In lacrymas ſolvi deberes, at contra ingenium torques in librandis antithetis, totus es in floſculis unde undique conquirendis. ſunt qui argumentari nunquam ceſſant, ſunt qui acuminibus ſibi non temperant, ſunt qui omnia pigmentis onerant, ſed videndum, an res id poſtulet. Volenti pictas undas Poeta, ære accepto, dare debet undas, non arbores. *Proportio in partibus eniteſcat*. Hoc innuit Horatius exemplo amphoræ, quam figulus ita inchoat, ut rem magnificam ſperes, ſed quæ tandem in malum urceum evadit. Ex hoc intellige vel exordium pleniſſimum oſtentationis, cujus dignitati conſequentia non reſpondent; vel frons ædificii, cujus magnitudini tota moles incongrua eſt; vel tandem faſtum, qui multa pollicetur, ſed pauca exſolvit. *Qui nimis metuit quod uniforme eſt, arbitrio ſuo indulgens rem monſtro ſimilem facit*. Antequam docet, rem apte variandam eſſe, ſtatuit generatim, ſpeciem quamdam eſſe boni, quo decipimur, idque probat exemplis, quæ vel ad Eloquentiam multum valent. hoc igitur præcipue ſibi vult, Rei partes licet variatas, aptas

tamen

Non magis eſſe velim, quam pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Sumite materiem, veſtris, qui ſcribitis, æquam

Viri-

tamen inter ſe, atque uniformes eſſe debere. digiti manus inter ſe differunt, tamen pulchra ſimilitudine placent. Pronum eſt cuique ultra citrave rectum divagari. v. g. qui rem nimis lævigat, aut limat, eandem terit, & enervat. *ſectantem levia* &c. ſic *qui nimis metuit* &c. ut ſupra. Ne quid ultra modum. Veram pulchritudinem inſitam videmus rei ipſi, quæ eſt in medio. *In vitium ducit culpæ fuga* &c. hæc propoſitio generatim ſpectat rei unitatem. Artifex ſæpe labitur in vitia contraria, cum nimis arbitrio ſuo obſequitur, legeſque artis migrat. Quælibet operis pars abſoluta & perfecta eſſe debet ad rem unam perficiendam; ſecus enim pulchros oculos v. g. crineſque, & pravum naſum videres in uno eodemque homine. Sic Orator ille mira dicit in panegyricis orationibus, frigida in moralibus. In Phidiæ operibus majeſtas, in Apellis venuſtas ſplendebat. Utrumque in magno opere requirendum. ſummatim dicam. 1. Unam ſpeciatim rem eſſe debere: caput feminæ, & equi collum huic præcepto opponuntur. 2. Unam eſſe formam, quæ omnibus ſuis partibus conſtet (amota omni inæqualitate) eodem colore, eodem, dicunt itali, *tuono*: quod vocatur uniforme. 3. Unum principium, unde omnia quæ dicuntur, effluant. Hujuſmodi eſt unum illud, quod reſpicitur. 4. Menſuram unam partium extenſioni, & proportioni communem: V. g. ingens caput exiguo corpori male conjungitur. quod dicitur unum ſymmetrum. 5. Rem unam concinne variandam. 6. Quamlibet rei partem, æque abſolvendam numeris omnibus. Hic locus hactenus pluribus explicatus locupletiſſimus eſt; continet enim quidquid ad Eloquentiam, Architecturam, & ad omnes liberales artes pertinet. Falluntur igitur illi Interpretes, qui hos verſus vel ad Epopœjam, vel ad Tragœdiam tantum referendos eſſe judicarunt.

V. 36. Hoc etiam præcipit Boileau initio Poetices verſibus ſex. *O vous donc, qui brulant* &c.

V. 38. Ariſtoteles ait in duo vitiorum genera ſolere incidere Poetam imitando, in aliena, & propria. Primum, cum eligit rem vitioſam, & tunc contra artem peccat aliam a ſua. Alterum, cum res viribus ſuperiores ſumit,

& tunc

Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Non facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat,

& tunc contra artem ſuam. Neceſſe eſt, ille rem penſitet, & verſet, & videat, an ferre eam poſſit diu, & uſque ad finem. Hæc res ſuppeditare poteſt Actum unum, & alterum, non autem tertium, multo minus quintum. Qui rem ſuſcipit, quam recte noverit, & æquam viribus ſuis, facile eam tractat, nitide partes diſponit, ſententiis verba accommodat. Cum vero rei magnitudo Auctoris vires ſuperat, eaſque opprimit, tunc ordo partium vim patitur, male cedit, tunc opus gracile eſt, ægriſque plantis pene par, quarum truncus exilis eſt, frondes pallidæ, & minutæ, & flores vix exorti flacceſcunt. Hæc autem diſpoſitio partium non ea erit, quam ſequitur hiſtoria, ſed alia longe præſtantior.

V. 40. *Potenter*, i. pro virili parte. Boileau hoc dicit verſibus quatuor. *Selon que noſtre idee* &c.

V. 43. Exemplo hunc locum illuſtremus. Si qua populi ſeditio in urbe cooriatur, & inde certamen, concurrunt ad id ſpectandum cives: eo temporis momento, quo adſunt, ſpectaculum incipit, & hinc ſuiſmet oculis rem cupide docentur, quo poſſunt pacto. deinde ubi oculi nihil aliud inſuper docere poſſunt; reliqua, nempe cauſas & adjuncta rei quiſque rogat alios ſe doctiores; tunc fit rei narratio: ecce exemplar Poetici ordinis. Id cernere eſt in Tragœdiis, Comœdiis, & Epicis Poematibus. Accidit, ut Poeta ea plana facere debeat legentibus, quorum notitia neceſſaria eſt ad intelligendam argumenti connexionem, & ſolutionem; ſed ſatius eſt, aliqua ſolummodo declarari, & in aliud tempus cætera diferri, ut quod nunc palam fit ſpectatoribus, eos magis intentos efficiat propoſitæ fabulæ, & in ſpem erigat cognoſcendorum continuo eventuum, qui ipſis ſuboluere. Hujuſmodi autem eventibus abſolvendis moram callide injicit Poeta, interpoſitis Epiſodiis, velut diverticulis, blandis ſane & opportunis.

Hoc amet hoc ſpernat promiſſi Carminis auctor.
In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum, ſi forte neceſſe eſt
Indiciis moſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget; dabiturque licentia ſumta pudenter.
Et nova factaque nuper habebunt verba fidem, ſi Græ-

V. 45. Perperam Bentlejus, & Sanado hunc verſum ſequenti poſtponunt, & referunt ad verborum delectum. majorem enim vim addit ſententiæ præcedenti, ſupervacaneam vero conſequenti, propter τὸ *tenuis* & *cautus*. Perperam etiam cum Dacierio & cæteris explicant τὸ *promiſſi* pro *diu expectati*, niſi forte dicas, rerum delectum non fore neceſſarium, niſi prius annuncietur. Quod eſt abſurdum. τὸ *promiſſi* hic ſonat *longi*. Si ſit breve Epigramma, pauca ſeligenda ſunt. Delectus igitur habendus in Epiſodiis, in rerum adjunctis, in ſententiis, in figuris, in verbis, in armonia. ideoque utitur voce generali *hoc*. Servius lib. 4. Æneidos citat hunc verſum, & explicat de ordine naturali, & artificiali.

V. 46. *Tenuis*. *riſervato*, *delicato*. *ſerendis*, i. inveniendis.

V. 47. Alii de vocibus compoſitis, alii de vulgari vocum ſenſu ad novum & inſolitum converſo hic agi putant. Qua in re præcipuus erat Horatius. Hinc Petronius: *Horatii curioſa felicitas*: & Quintil. *in verbis feliciſſime audax*. Sed videtur hic eſſe verborum ordo: *Si callida junctura reddiderit notum verbum novum*, i. auctor cautus ſit in confirmando ſenſu novarum vocum, quas finxit, per uſitatarum vocum acceſſionem, quaſique ſocietatem. Novum verbum recens partum ſimile eſt ignoto alienigenæ, qui in cœtum honeſtorum hominum prodit, & indiget noto aliquo comite, per quem & ipſe innoteſcat.

V. 48. Si nulla vox uſitata ſuppetat explicando novo Naturæ vel Artis invento, tunc licet nova vocabula confingere, quæ tamen alicui doctæ linguæ, v. g. Græcæ analoga ſint. *indicia*, i. verba.

V. 50. *Cinctutis*. (V. Ind. *Gabini*).

Græco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varioque? ego, cur adquirere pauca
Si poſſum, invideor? Cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? licuit, ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.
Ut Sylvæ foliis pronis mutantur in annis,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque,
Debemur morti nos, noſtraque; ſive receptus
Terra Neptunus claſſes, Aquilonibus arcet,
Regis opus, ſterilisve diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum;
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius, mortalia facta peribunt;
Ne dum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,

D 2 Quem

V. 53. Novæ voces ſiat origine grææ, & latinæ factæ per levem mutationem. Plerique latinorum linguam græcam callebant, ideoque verbum novum a græca origine petitum non erat prorſus recens, præterquamquod leviter tantum immutabatur; ut a μήτηρ mater, a μηχανὴ machina.

V. 54. Romani Virgilio & Vario negabunt, quod Cæcilio & Plauto conceſſerunt?

V. 56. Nuſquam reperies in aliis Auctoribus τὸ *invideor* paſſive ſumtum.

V. 58. Licebit, cum opus fuerit nova verba producere, modo ſignata uſus præſentis nota.

V. 59. Τὸ procudere nummum, quod legunt Bentlejus, & Sanado, viris tantum principibus atque adeo Regibus licet, non cuique.

V. 60. Hypallage. ut ſylvæ mutant folia ſingulis autumnis, & ea prima decidunt, quæ prima nata.

V. 63. 64. 65. 66. (V. Ind. *Agrippa & Octavius*.

Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.
Res geſtæ Regumque, ducumque, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.
Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.
Archilocum proprio rabies armavit iambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandeſque cothurni,
Al-

V. 72. Litem de verbis uſus dirimit: *arbitrium*. parendum eſt auctoritati ſummæ: *uſui eſt jus:* tandem ſi leges vel dandæ, vel abrogandæ ſint, uſus id facit, *uſus lex eſt & norma*. hic uſus Judex, Rex, Legiſlator eſt penes doctos viros, qui puriores linguæ latices biberunt.

V. 73. Poſtquam de materia & verbis locutus eſt; nunc de verſibus, eorumque ſpeciebus; probatque ſingulis generibus ſuos deberi verſus, ac pedes: non agit de fine Poetarum, nec de generibus Poematum, ut vult Riccobonus, qui hos ſequentes verſus loco dimovit. Verſus exameter Heroicis argumentis, Homerus exemplum præbuit. Hæc vox *numerus* triplici ſenſu munitur. vel eſt pes, vel verſus menſura, vel terminatio. Spondæus eſt omnium graviſſimus, & lentus; Dactylus levis. In Carmine heroico hi duo pedes tantum locum habent, nam ſi anapæſtus quoque adhiberetur, accideret interdum, ut in verſu quatuor breves coirent. Ergo ad dignitatem verſus non parum facit pedum delectus. Menſura vero exametri conſtat 12 temporibus, quod ſpatium nobilitatem conciliare viſum eſt. Tandem cum hic verſus ſpondæo terminetur, gravis inde, & nervoſus efficitur. Eum Dactylus animat, Spondæus fulcit.

V. 75. Alterni ſunt exametri & pentametri in elegiis, quæ vocantur exiguæ, quia minores vel leviores ſunt Heroico Carmine.

V. 76. i. Lætitia, quæ erumpere ſolet ex ſententia voti compote.

V. 79. Hic verſus nervorum plenus eſt: repetitio litteræ caninæ per tremulam linguæ vibrationem congruit ingenio Archilochi acri, violento, & mordaci.

Digitized by Google

Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem Victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.
Deſcriptas ſervare vices, operumque colores
Cur ego ſi nequeo, ignoroque, Poeta ſalutor?

V. 81. Comœdia & Tragœdia. pes Jambicus citus eſt; ſyllaba enim brevis longam propellit, mutuoque brevis, longæque concurſu & percuſſione inſigni aures audientium percelluntur. Jambus cum parum diſtet a familiari dicendi modo attentiores facit auditores. cetera vide v. 251. *alterni ſermones* ſunt dialogi.

V. 83. Quilibet animi ſenſus eſt Odarum materies. (V. T. I. Præf. de Lyrica Poeſi) quodvis Poeſeos genus ſuam habet verſificationis formam. Horatius ulterius progreditur. Non modo enim agit de diverſis formis, & coloribus, quos verſificatio Heroica aut Lyrica, aut Dramatica Poemati adſciſcit, verum etiam de colore ſtili, qui pariter varius, ac multiplex eſt. Eſt enim ſtilus ſimplex, aut familiaris, & mediocris, aut ſublimis. ſingula hæc tria genera ſuos habent gradus, quos quiſque Poeta inſignis pro re nata ſibi adoptat: ſingulis rebus notam illam tribuit, quam Itali vocant *tuono*.

V. 86. Fallitur Riccobonus, qui hos tres verſus ad dictionem Comicam, & Tragicam tantum refert. horum ſenſus generatim ſumendus. Daniel vero Heinſius invehitur in librarios', utpote qui a v. 7 uſque ad 93 locum luxaverint; ipſe audet arbitrio ſuo verſus diſponere. Homo iſte Auctoris mentem non aſſequitur. (vide Riccob. & Heins. ordinem Epiſtolæ de Art. Poet. ſuo loco.) *ſervare vices deſcriptas* idem eſt atque cognoſcere colores, & notas (*i tuoni*) cujuslibet operis. 1. eſt color generis v. g. Comici, aut Tragici. 2. eſt rei in genere ſuo; res enim poteſt eſſe comica plus, minuſve. 3. Eſt partium: cuilibet enim rei parti præter generalem colorem eſt etiam peculiaris. Illa ſcena eſt ferocior, & fortior, hæc mollior, & dulcior. 4. Eſt cujuslibet ſententiæ; omnes enim partes, quantulæcumque ſint, neſcio quid proprii coloris habent.

Cur neſcire pudens prave, quam diſcere malo?
Verſibus exponi tragicis res Comica non vult;
Indignamur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ,
Singula quæque locum teneant ſortita decenter:
Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratuſque Cremes tumido delitigat ore,
Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus & Peleus cum pauper & exul, uterque
Pro-

V. 88. Vitium hoc late patet. Stultus pudor efficit, ut quis malit ſuam inſcitiam fovere tegendo, quam ei medendi rationem quærere fatendo.

V. 89. Verſus tragicus ſpondæum admittit in tertio, & quarto loco tantum, ſed comicus pro lubitu. Deinde quoad dicendi modos. Jambicus verſus Tragicus eſt vel Comicus. Cic. ait; *in Tragœdia comicum vitioſum eſt*, *in Comœdia turpe tragicum*.

V. 90. Soccus dari non poteſt Regibus, ut nec mercatoribus cothurnus.

V. 91. Narrari, nedum agi. Ennius Tragœdiam Tyeſtis. ſcripſit, cujus extant fragmenta.

V. 92. Quintil. lib. 10 ait; ,, ſua cuique propria lex, ,, ſuus decor eſt, nec Comœdia in cothurnos aſſurgit, nec ,, contra Tragœdia ſocco ingreditur. ,,

V. 93. Id fit ex materiæ diverſitate, quam ſtilus ſequi debet, notandum tamen Comœdiam nunquam heroicam fieri. eos enim habet colores, qui impedimento ſunt, quominus tragica evadat. Tragœdia pariter cum ſe dimittit, non deſcendit uſque ad comicum genus, neutra igitur in iis vicibus ſubeundis obliviſcitur ſui.

V. 94. Vide ſc. 5. Act. 5. Heavtont. Terentii.

V. 95. Comœdia τὰ πάθη habet, quæ ſibi cum Tragœdia communia ſunt; & tunc ſibi licet ejus ſtilum imitari; verum dumtaxat in dolore licet Tragœdiæ ad ſtilum familiarem deſcendere, nec tamen ſemper. *Tragicus*, i. Poeta.

V. 96. Ambo exules & ad extremam miſeriam redacti cum volunt nos movere, mala ſua recenſendo, abſtinent ab ampullatis adfectibus, & a ſeſquipedalibus verbis. Boileau hæc in ſuam poeticem regerit verſibus 10. *Que devant Troje en Flamme* &c. hunc & duos ſequentes Horatii verſus ſecus ac oportet accepit Riccobonus, ideoque perperam loco ſuo expunxit.

Digitized by Google

Projicit ampullas. & ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata, dulcia ſunto,
Et quocumque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu; male ſi mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Triſtia mœſtum
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem laſciva: ſeverum ſeria dictu.

D 4 For-

V. 99. *Dulcia*, i. moventia adfectus, non (ut perperam explicat Heinſius cum aliis) *jucunda*. nec legendum, ut vult Bentlejus *pura*, i. communia, quotidiana, civilia, popularia. Pulchra ſunt poemata, pulchri verſus, cum perfecte conveniunt rei; quod Horatius vocat *deſcriptas vices*. Sed non ſatis eſt, rem bene deſcribi, animari neceſſe eſt τοῖς πάθεσι. duobus modis Poema movebit adfectus, vel cum actor actione, & voce exprimit adfectus, quos excitare vult in ſpectantium animis, ita ut videatur ea mala pati, quorum imaginem exhibet; ſecus ſpectator dormitaret; Si enim falſo vel languide dolorem exprimat, cum pugnent ſecum ejus verba & actio, neceſſario abſurdum oritur, quod riſum movet. 2. cum ſtilus congruit loquentis ſtatui, quem ipſe vultu patefacit. Hanc legem Poeta legislatoris ore pronunciat.

V. 103. *Lædent*, i. commovebunt, tangent.

V. 104. Partes tibi mandatas ſi male exequeris.

V. 105. Ea indoles nobis ingenerata eſt, ut velimus noſmetipſos tueri. per hanc noſcimus, quæ nobis nocitura, vel profutura ſint, ut illa fugiamus, hæc appetamus. Hæc indoles vultu exprimitur, ne dum interprete lingua. Stilus igitur colorem affecti animi oſtendat æque ac vultus ipſe. hic Stili color conſiſtit in deligendis quibuſdam dicendi formis, & figuris, nempe Apoſtrophe, interrogatione, exclamatione &c. ita Stilus movebit animos.

Format enim Natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum : juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
Intererit multum Davuſne loquatur, an heros;
Maturuſque ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus, & Matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatorque vagus, cultorne virentis agelli:
Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis.,
Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge

Scri-

V. 108. Natura noſtrum vultum finxit ad varias formas ſuſcipiendas pro diverſis rerum ſtatibus, in quos fortuna nos conjicit.

V. 112. *Fortunis*, i. ſtatu.

V. 113. *Equites*, i. qui populo aliqua dignitate antiſtant.

V. 114. Ubi dixit, cujuslibet Actoris Orationem ſuo ſtatui convenire debere, oſtendit, diverſos eſſe rerum, perſonarumque ſtatus, nempe juxta conditiones, ætates, dignitates, ſexum, artis profeſſionem, regiones, educationem. Eorum ſtatuum aliquas tantum ſpecies attingit, reliquas ultro omittit, ne legentium ingenio diffidat. ſin vero pingere inſtituis mores regionis, quam nunquam vidiſti, quam per te ignoras, tunc audi Horatium, qui dixit, *aut famam ſequere*.

V. 119. Uſque ad 128, Riccobonus nimis contrahit hujus loci ſenſum, quem putat referendum ad Tragicæ perſonæ mores. Hic ſane locus eſt ſalebrarum pleniſſimus, multumque eſt diſcutiendus. pingerem ſecutus famam, & fac ut partes ſibi invicem concinant. hoc dupliciter fieri poteſt. 1. ſi pingas, ſecutus *communia*, 2. ſi *propria*. Communia ſunt, vel ſocietas, cujus membra ſinguli ſumus; vel hiſtorica monumenta, quæ plena ſunt celebribus factis, nominibuſque; vel Mythologica, quæ fictos Deos, Heroaſ-

que

que ſuppeditant; vel demum quidquid fieri poteſt, in quo omnia univerſim exiſtunt, ſed in quo tamen ἡ φαντασία creare poteſt ſingularia proprietatibus ſuis prædita; & ſic *propria* ſequitur pingendo. Licet falſa dicas, modo eadem communi opinioni conſentanea, & veriſimilia, unanimi conſenſu ab omnibus excipientur, tanquam bene picta: Horatius ait: *ſequere famam*, non *Verum*. *Verum* enim deſcriptum ideo placebit, quia notum; aliter enim rei veræ deſcriptio, & exemplar ipſum ſibi invicem paria eſſe non poſſent ſpectatorum judicio. Dices ne imaginem Petri, quem ignoras, eſſe veram, licet ipſa reapſe Petro ſimilis ſit? Sic Poeta, minus Verum ſequi debet, quam eorum opinionem, qui hoc vel illud verum eſſe rentur. hoc igitur modo ſe gerere debet in iis, quæ vel a ſocietate, vel ab hiſtoria, vel a Mythologia depromit. Quoad ea vero, quæ ipſe creat, & quorum notionem nullam ſpectatores unquam habuerunt, id monitum Poetam vult Horatius, ut ea vix in lucem emiſſa inſtruat, ac diſtinguat vividis coloribus, ac certis, ſibique congruentibus. hinc judicium ferre poterit ſpectator. Veri autem erunt colores, non quia æquentur notis exemplaris, quod ſane nullum eſt nec in hiſtoria, nec in mythologia, nec in ſocietate, ſed quia ſecum ipſi conſentiunt, ita ut in variis ſcenis conſiderati, exemplaria fiant in primis, in ceteris vero *deſcriptæ vices*. Hæc poſtrema pingendi ratio difficillima eſt Horatii judicio. *difficile eſt proprie communia dicere*: difficile eſt ſingulares, inſignes, præcipuos colores iis rebus fictis adſcribere, quæ res communibus tantum coloribus per ſe nitent. Quomodo enim homini *A*, vel *B* propria aſſignes? an ille noſcitur? cum dicis, hic eſt homo; video *communia*, hominique cuique ingenita, nempe animal rationale: ſed cum nunquam iſte exſtiterit, nec in Mythologia, nec in Hiſtoria, *propriis* coloribus caret, quibus a *communi* ſocietate eum queam ſecernere. Aſt audito Neronis & Achillis nomine non modo video, quæ ſunt utrique communia, ſed etiam ſingillatim propria, nempe illi crudelitatem, huic virtutes. Celeberrimus Molierius in ſua Comœdia, quam inſcripſit *le Tartuffe*; *proprie communia dixit*. τὰ communia idem eſt ac generalia, cum opponitur τῷ *propria*, quod idem eſt ac peculiaria, præcipua. *fere*, ait Quintil., *communia generalia ſunt:* & paulo ſuperius: *a communibus ad propria veniamus*. Cum totus hic Horatianus locus unus ſit, pars altera alteram declarare debet. Præſtat, ait, in ſcenam producere notam perſonam, quam ea proferre, de quibus nemo locutus eſt; *indicta*, & quæ nemo novit, *ignota*. talia ſunt ea,

quæ

Scriptor; honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inviĉtaque: flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare novam: ſervetur ad imum,
Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt proprie communia dicere: tuque
Reĉtius Iliacum Carmen deducis in aĉtus,
Quam ſi proferres ignota, indiĉtaque primus.
Publica materies privati juris erit, ſi

Nec

quæ fieri poſſunt, & nunquam extiterunt. Audiamus Roſellum. Interpretes fere omnes acceperunt τὸ *communia* (v. 128) tanquam vocem juris, ut ſignificet rem primi occupantis, & putarunt, id ſibi velle Horatium, difficile eſſe rem, de qua nemo adhuc egit, ſibi propriam facere, & eſſe facilius pertraĉtare rem, de qua alii egerunt, ſed Horatius contraria dicit. Errarunt quia rati ſunt τὸ *reĉtius* (v. 129) idem ſonare ac *facilius*, cum idem ſit atque *honorificentius*: ut ſenſus ſit: ille, qui rem traĉtat, de qua alii egerunt, majorem gloriam ſibi pariet, quam ſi eligat rem, de qua nemo adhuc ſcripſit. Hoc monitos vult Poetas dramaticos, quia credit ab iis præcipue gloriam peti.

V. 120. Hæc vox *honoratum* eo ſenſu accipienda, quem ipſa a græca origine deducit. τιμὴ enim ſonat *honor* & *ultio*. *honoratus* eſt igitur, qui ſe de aliquo vindicavit. Ultio quodammodo honorem reſtituit. Boileau hoc præceptum *famam ſequere* repetit 10 verſibus. *Achille deplairoit* &c.

V. 125. Perſonæ fiĉtæ ſui mores adponendi ſunt, qui apte adhærere debent conditioni, τοῖς πάθεσι, & ingenio adſcito.

V. 126. Aĉtionis pulchritudo maxime conſiſtit in proportione, & ſymmetra coagmentatione omnium ſuarum partium ad totum perficiendum.

V. 131. Etc. cum id hortatus fuerit, ut deſumantur perſonæ notæ ex Mythologia, hoc ſibi objicit. Verum,

dicet

Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres: nec deſilies imitator in arctum,
Unde

dicet aliquis, hæc materies publica eſt, lippis & tonſoribus nota; nihil marte meo proferam? reſpondet: dupliciter eam quis ſibi adſciſcere poteſt. 1. ſi minus exacte rerum contextum perſequatur in hiſtoria, vel Mythologia. 2. ſi diverſas proferat ſententias, novamque elocutionem. *nec circa vilem* &c. *nec verbum verbo* &c. allegorice loquitur. Homerus iram Achillis cecinit, & quæ iram conſecuta ſunt, & comitata. Qui velit hoc idem pertractare Tragœdia, non ſequatur ducem Homerum religioſe, & ad amuſſim. aliter ſeſe clauderet orbe jam deſcripto. hoc factu facillimum eſſet, & cuique obvium. Heinſius & Riccobonus hic errant, quorum alter putat *orbem patulum & vilem* eſſe vanum verborum circuitum nihil ad rem pertinentem, & figuram Rhetoricam, quam Ariſtoteles vocat τὰ κύκλῳ, alter vero, ſignificari ait poetam circumforaneum & circulatorem. Neceſſe eſt igitur, ut reipſa potiaris, addas, demas, transferas, adſtruas, ut lubet, & tibi propriam jure dices rem, quæ olim ab aliis pertractata fuit. Hæc libertas neceſſaria eſt. Argumenta cujuſque operis Dramatici amplificari debent, vel contrahi, vel ita componi, ut perficiant formam legibus præſcriptam. Si Poeta hiſtoriam, aut fabulam ad amuſſim ſequeretur, procederet quidem, ſed tandem eam turpiter deſerere cogeretur, regulæ enim obſtarent. *Proferre pedem ex arcto* eſt periculum effugere. hinc Bos imitatus Vulpem in puteum deſiliit, e qua exilire nequivit. ex hac fabula allegoria educta eſt: *nec deſilias imitator in arctum*. *Proferre pedem* eſt etiam procedere. uterque verborum ſenſus optime ad rem, ſatiſque indicatur a duobus nominativis *pudor & operis lex*. *Pudor vetat proferre pedem inde*: h. e. vetaris pudore effugere periculum, quod iniiſti; *operis lex vetat proferre pedem inde:* h. e. artis regulis vetaris procedere. Sic in eo ſtatu rerum es, ut nec progredi, nec recedere poſſis. Novam etiam rem & tuam efficies, licet ab alio Auctore prius agitatam, & licet, quoad actionem, & adjuncta, & progreſſiones ne minimum quidem immutatam, ſi de tuo penu ſermones, ſententias, dicendi modos promas: jam Poeta, & rei inventor vocaberis.

Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Nec ſic incipies, ut ſcriptor cyclius olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte!
Dic mihi, Muſa, virum, captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes:
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat: ut ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdin.

Nec

V. 136. (V. Ind.) Hæc ad Epopœjam videntur omnia pertinere, ſed Horatii ſolertia fit, ut ex Poematis epici legibus ea eliciantur, quæ in Poemate Dramatico facienda ſunt; & propoſito exemplare Homerico, quid ſit in unoquoque litterario genere perfectum, oſtendit. Homerus igitur incipit, ut decet, apte, non inepte. *Nulla vox latina eſt*, ait Cicero, *quæ majorem vim habeat, quam ineptus*. ineptus ille eſt, qui non videt, quid a ſe poſtulet tempus, qui plura dicit, quam oportet, qui ſeſe oſtentat, qui rationem non habet perſonarum, qui tandem in rebus gerendis citra recti limites remanet, vel ultra progreditur, Itali dicunt *uno ſciocco*. jam vero inepti eſt exordiri grandibus verbis opus, quod ægre conſtare poteſt. & quod licet facile poſſit, inepti pariter eſt, curſum operis inire tanto apparatu. Hic Poeta cyclius igitur ineptus erat, qui initio ſtatim buccas inflabat dicens: *Fortunam* &c. (V. *Mantiſſam Comm. de Poem. Cyclio*) præſtat pauca polliceri, & multa exſolvere, quam contra. Modeſtia in rebus ſervanda, in figuris, numeris, dicendi modis. Præceptum hoc ab Horatio mutuatus eſt Boileau verſibus 14, ſed exemplum attulit Virgilii pro Homeri: uterque ſcite. *Que le debout ſoit ſimple* &c. *moliri* eſt rem inchoare.

V. 143. Exordia magnifica, quæ deinceps non ſuſtinentur, nec conſtant, ſimilia ſunt accenſarum palearum flammæ. Sed quæ gradatim creſcunt, ſolida ſunt.

V. 144. Fabulas mirabiles Homeri.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res,
Non ſecus ac notas, auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit:
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.
Tu quid ego & populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite dicat:
Æta-

V. 146. (V. Ind. *Antimachus*) paulo ſuperius exordiendi rationem docuit, hic vero locum, unde exordiendum. Non a duobus Ovis Ledæ &c. Hoc enim Hiſtorici munus.

V. 148. Poeta Epicus in medias res ſe conjicit, eo temporis momento orditur rem, quo ſcena aperitur, perinde ac ſi reliqua nota eſſent ſpectatoribus. ita Virgilius exorditur. *Vix e conſpectu Siculæ* &c. inepte igitur Riccobonus hunc locum poſtpoſuit verſui 45. Dacierius putat hoc præceptum *& in medias res* contineri verſibus 42, 43, 44, & Horatium hic non loqui de ratione, qua Homerus Poema orditur, ſed qua rem perſequitur; & explicat τὸ *non ſecus ac notas* quaſi utpote *notas*; *& medias res* quaſi *mediocres*, μέσας, ἀδυνατόρας, eas nempe, quæ actioni præceſſerunt, quas Poeta veluti Epiſodia narrat, poſt principium, & ante finem actionis.

V. 150. Et deſerit ea, quæ nec ars, nec ingenium feliciter mutare poteſt.

V. 151. Superius dixit: ſtruite, deſtruite res, ut lubet, ita tamen, ut partes ſibi invicem reſpondeant, & in unum coaleſcant. Hiſtoria locum habere poteſt in Poemate, poteſt etiam omnia ſuppeditare, ſed multa habet abnormia, arida, infœcunda; licet igitur in eorum locum ſufficere ficta, quæ niteant, & proſint. Sed hæc ficta ſint ejuſdem naturæ, & coloris, ac reliqua.

V. 153. *Ego*, i. docti homines, poeſeos periti, *& populus*, i. indocti, hujus artis imperiti.

V. 154. *Aulæa manere* eſt expectare omnes ſcenæ mutationes, quæ machinas adhibebant.

V. 155. *Cantor*, i. chorus. ut ait Quintil. lib. 4. c. 1.

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores:
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,

Su-

V. 156. Exprimendi ſunt mores, colores cujuſque ætatis. Ii non ſolum veri ſint in ſe, ſed etiam videantur eſſe tales, ſint perſpicue expreſſi, & ſenſus pertingant. Notabuntur autem mores recte, cum ex Actoris dictis fieri judicium poterit de iis, quæ facere debet, & de iis, quæ dicere debet, ex ejuſdem factis. Nihil eſt, quod magis deliniat, ac moretur Spectatores, quam morum pictura. Taciti illi ſedent arrectis auribus, immotiſque oculis. cuilibet ætati ſui ſunt mores, & ſingulis moribus ſuæ vices, progreſſus, regreſſus pro ætatis cujuſque conſtitutione. id ſignificatur τῷ mobilibus naturis, quæ mutantur, augentur, pro annorum ratione. τὸ *mobilibus* commune eſt τῷ *naturis* & *annis*. Hic locus qui quatuor ætates percurrit, quatuor veluti pictas tabulas continet, in quibus Natura ad vivum expreſſa eſt. Eas quoque verſibus 18 deſcripſit Boileau: *Le temps que change* &c. morum ſcientia neceſſaria eſt Oratoribus, Poetis Tragicis, Comicis, Lyricis.

V. 158. *Reddere* proprie dictum. Puer enim id tantum iterat, quod audit. *ſignare humum pede certo* eſt veſtigium ſolo humido imprimere.

V. 160. *Colligit iram*, i. facile iraſcitur. mutatur facillime pueri animus cauſa cerebri velut cerei, quo rerum veſtigia facili negotio ponuntur, continuoque delentur.

V. 161. Ἐνεργικῶς dicta. jamdiu cuſtos puero incommodaverat.

V. 162. Nullo labore vitia imbibit animo. Vitium citius quam virtutem amplectuntur juvenes, quia in illo quamdam libertatis ſpeciem vident, qua nihil ipſis jucundius.

Digitized by Google

Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.
Converſis ſtudiis, ætas, animuſque virilis
Quærit opes, & amicitias, inſervit honori:
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, paviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se

V. 165. *Sublimis*, i. vanus, confidens, de nulla re anceps, quia rerum experientia caret. *cupiduſque*. cupiditates juvenum ſunt magis vividæ, & acutæ, quam magnæ, ideo ſunt diuturnæ. Vitia juvenum, ait Ariſtoteles, ſunt, ut fames & ſitis in ægris.

V. 166. *Converſis ſtudiis*. *cangiano i guſti*.

V. 168. Timet in rebus agendis longius, quam par eſt, procedere, in diſcrimen vocari. *laboret*, i. ſe pœniteat.

V. 172. *Dilator*, i. nunquam ad agendum paratus. *Spe longus*, i. ſperat ſine fine, putat, omnia tempore duci, omnia a tempore ſibi expectat. Dacierius ait: *ſpe longus* idem eſt ac δύσελπις, ut ait Ariſtoteles. Lambinus ait, ſpe longum eſſe, qui ſuas ſpes quam longiſſime producit. Sed id raro accidit. Bentlejus & Sanado legunt *ſpe lentus*. quia ſenes rerum experientia edocti ſpes lentas & imbelles concipiunt. *iners*, i. ſine arte. neſcit ſe ſe movere, ſe vertere, vix rem aggreditur. *paviduſque futuri*: ultra modum res prævidet, metuit, ne ſibi deſint neceſſaria, quia ſe inbecillem ſentit. Hujuſmodi mores Ariſtoteles nixos credit his principiis. Nempe juvenes, qui nondum decepti ſunt, ſeſe committunt fidenter omnibus; Senes, qui ſæpe in fraudem impulſi ſunt, & fere ſemper, de omnibus diffidunt; Viri medii inter juvenes, & ſenes conſtituti auream mediocritatem ſervant.

V. 173. Annorum 50 ſpatium eſt circiter vitæ humanæ periodus. uſque ad 30 ferme creſcit ætas, a 30 uſque ad 50 ætas conſtans eſt, ultra 50 ætas declivis. juxta Ariſto-

te-

Digitized by Google

Se puero, Cenſor, caſtigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte ſeniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles:
Semper in adjunctis, ævoque morabitur aptis.
Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Non tamen intus

Di-

telem: *juventus*, *vigor*, *ſenectus*. Vir igitur commoda adipiſcitur uſque ad 50 annum, ſed dehinc ea paulatim amittit. Poeta omnes diſcriminis gradus notare debet, & maxime cavere, ne Neſtor juvenum more loquatur, nec Ulyſſes puerorum. Explicat præceptum Ariſtotelis: χρὴ δὲ ἐν τοῖς ἤθεσι καὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον, ἢ τὸ εἰκός: ἀναγκαῖον explicat Horatius adjuncta ævo, i. quidquid neceſſario ſequitur ætatem. τὸ εἰκός, i. veriſimile explicat *apta ævo*, i. quidquid proprium eſt ætati.

V. 179. Inconſulto Riccobonus hunc locum refert ad *apparatum*, ſeu *conſpectum*, ſeu *ad res in ſcenam introducendas*, *vel non introducendas*, & copulat cum iis verſibus, qui agunt de Melopœja. Senſus eſt: quidquid in ſcena agitur, fit dupliciter, aut rem eamdem exhibendo, & tunc oculi docent animum, aut docendo, quid res ſit, quominus ipſa exhibeatur. Hinc oritur Epica, & Dramatica Poeſis. Dramatica vividior eſt, magiſque concitat animum duplici de cauſa. Quia quiſque majorem habet fidem oculorum ſuorum judicio, quam alteri narranti: *oculis fidelibus*, i. e. quibus habetur fides. Deinde quia oculi celerius certiuſque omnes rei partes percipiunt, & tunc ἡ φαντασία facile rem omnem ſibi ſubjectam comprehendit.

182. *Non tamen*. non omnia tamen exhiberi poſſunt in ſcena, v. g. Cæſaris mors. Tunc ea narranda ſunt. Ex quo fit, ut forma Epica interdum locum habeat in Dramate; viciſſim quoque Dramatica in narrationibus Epicis reperietur. Ad explicandos liquido Epopœjæ, & Dramatis gradus dicere poſſumus, formam Dramaticam in ſcena abſolutiorem eſſe, quam in Epopœja. In Dramate auditur

Æneas

Digna geri, promes in ſcenam, multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

Æneas, auditur etiam in Poemate epico, ſed in Dramate præterea cernitur Æneas ipſemet, ejuſque geſtus; vox ipſa auditur; in Epico autem Poemate leguntur tantum ejus verba. In illo narratio occupat eodem tempore oculos, & aures, in hoc τὴν φαντασίαν tantum, quæ agere incipit poſt audita verba. In illo narratio eſt aliquam partem Dramatica, quia, licet non adſpiciatur V. g. Hippolytus curru lapſus, ſaltem Teramenes flens & ſpectatur, & auditur, ejuſque narratio eſt ſpectaculi inſtar. At in hoc ſermo tantum Actoris Dramaticus eſt. Verbo, in Dramate omnia Dramatica ſunt, geſtus; vocis ſonus, ſermo; in Epico vero poemate ſermo tantum.

V. 184. *Facundia præſens*, i. narratio dulcis, vel facundia facti vicaria, quæ rem oculis quaſi præſentem ſiſtit. Actor in ſcena diſerte narrabit ea, quæ e ſcena tollenda ſunt. ἡ φαντασία repugnat maxime iis, quæ ſenſibus obſunt. Mentis poetica abalienatio, & τὸ πάθος hujuſce repugnantiæ, atque horroris oblivionem poſſunt injicere, quia animum alio rapiunt. Anatomicus vir, qui novam venam in cadavere rimatur, mentem animumque in oculorum ſenſu defixum tenet. Ita qui pulchrum aliquod carmen legit attente, & jucunde, ſe velut aliorum ſenſuum expertem ſentit.

V. 185. *Medea trucidet*. mentitur Scaliger aſſerendo, Prometheum apud Æſchylum in ſcena ſeſe occidere. Seneca hoc præceptum Horatii violavit in Medea.

V. 186 Fortaſſe ſophocles tragœdiam Atreum ſcripſit. Accius eam in ſcenam Romæ protulit.

V. 187. Hæc miracula in Epico poemate locum habere poſſunt, non autem in Dramate.

V. 188. Non patimur nos prorſus haberi ludificatui. videremur enim contemni tanquam ſtipites. ita Simon apud Terentium exprobrat Davo male inita conſilia. *O Dave, itane contemnor abs te?* h. e. nimis apertæ ſunt inſidiæ; quem me eſſe putas?

Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.
Nec deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris partes Chorus, officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat apte.

Ille

V. 189. In quinque actuum curſu quatuor ſunt otii intercapedines ad levandos moleſtia ſpectatores trium circiter horarum ſpatio. Si diutius Drama duraret, fatigaretur audiendo ſpectator. (Vide Mantiſſam Comm. *de Dramate*).

V. 191. Dii actioni dramaticæ intereſſe non debent, vel ſi interſint, ubique agere debent, & ita Drama fit admirabile, ut vocant. Si Dii (vel machinæ) interſint tantum rei ſolvendæ, imbecillitas Poetæ tunc colligitur, vel Herois, cujus vires obſtaculis cedunt. Spectator tunc gaudet, cum videt rem factu difficilem, viribuſque humanis peractam. A Dramate expunxit Ariſtoteles omnes machinas admirabiles, quæ ab re non naſcuntur, nec neceſſario, nec veriſimiliter. *Vindex* eſt ille, qui in libertatem vindicat ſervum. Jam Horatius ſpectat opus enodatu difficile velut ſervum, quod Dei, vel machinarum ope indiget, per quam prorſus liberetur. (vide Mantiſſam Comm. *de admirab.*)

V. 192. (Ibidem de dialogis).

V. 193. Tὸ *virile*, non eſt *pro virili parte*, ut falſo explicant Turnebus, & Heinſius. Horatius vertit illum Ariſtotelis locum: καὶ τὸν χόρον δὲ ἕνα δεῖ ἀπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου. Apud veteres Chori conſtabant perſonis quibuſdam, quæ Autoribus favebant, & rerum teſtes erant. Senes, feminæ, milites, Paſtores, ſatyri, Numina juxta genus Dramatis. hæ perſonæ intercinebant medios actus lyrica carmina, interdum etiam loquebantur in ſcenis ore tamen unius, qui Choriphœus vocabatur, *Virile*, i. unius viri, nempe Choriphœi, qui Actoris vices gerebat, idcirco quarta perſona loqui non laboret in ſcena.

V. 194. Olim Chori prorſus ſejungebantur ab Actione. erant Hymni in deorum laudem, quorum dies feſti celebrabantur, ſed cum deinceps Drama magis in prophanum, quam in ſacrum evaſerit, converſis hominum ſtudiis; hinc lyrica carmina, quæ interſerebantur Actibus, exprimere

cœpe-

Ille bonis faveatque, & concilietur amice;
Et regat iratos, & amet peccare timentes,
Ille dapes laudet menſæ brevis, ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, & apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa, Deoſque precetur, & o-
ret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia, non, ut nunc, orichalco juncta, tu-
bæque

E 2 Æmu-

cœperunt ſententias, quas Auctores præcedentibus ſcenis afferre quidem poterant, non tamen attulerunt. Hæc igitur carmina ad rem facere debent, quod Ariſtoteles vocat *συναγωνίζεσθαι*; additque in hoc imitandum Sophoclem, non Euripidem, eoſque, qui aliter agunt, *ἐμβόλιμα ᾄδειν*, i. *inſerta canere*, h. e. quæ poſſunt convenire aliis Tragœdiis. Scaliger vero audet Ariſtoteli contradicere his verbis. „ neque id negligendum, ut Chori materia ſemper ducatur „ ex idea argumenti, vel totius fabulæ, vel præſentis fortunæ, loci, perſonæ, & hujuſmodi, id quod optime ab „ Euripide ſervatum, a Sophocle neglectum eſt. „ Ariſtophanes ipſe in Acharnenſibus exprobrat Euripidi vitium Chororum. Chorus velut perſona ſuis moribus præditus ſit; æquum ille & juſtum tueatur, & pacem, improbet vitia, &c.

V. 202. De Choro verba facit, cujus cantus miſcebatur ſono tibiæ. Hui Riccobone, Horatium diſcerpis, hunc locum ponis poſt verſum 72? verborum inventio cum Melopœja quid habet commune? Ordinis igitur natura poſtulabat, ut de tibia, ejuſque adjunctis ſermonem hic faceret. Tibia eſt cruris os, ex quo ipſa olim conficiebatur; ut etiam ex ligno, ex calamo. initio Dramaticæ Poeſeos Tibia erat valde dulcis, tenuemque ſonum emittebat, *tenuis*: una erat, i. uno eodemque tubo conſtabat, ſimplex, & paucis foraminibus, *foramine pauco*. Progreſſu temporis producta fuit, & in formam vaſis terminata, ut tuba, *tubæ æmula*. Duæ tibiæ ſimul compactæ fuere ope orichalchi, dextrorſum altera, altera ſiniſtrorſum. Tibia dextera, qua ſonabant tibicines manu dextera, paucis erat foraminibus, ſonumque gravem edebat, læva vero multis, & acutum ſonum funditabat. Batteux hallucinatus eſt. Dexteræ

Æmula, ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco
Adſpirare, & adeſſe Choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu:
Quo ſane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, caſtuſque, verecunduſque coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius feſtis impune diebus,
Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.
Indoctus quid enim ſaperet, liberque laborum,
Ruſticus urbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motumque, & luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem:
Sic

teræ enim tibiæ tribuit, quod lævæ, & lævæ, quod dexteræ. Carmina canebantur interdum *tibiis imparibus*, i. ambabus illis tibiis ita conglutinatis, cum vero canebantur miſta duabus dexteris, vel lævis, tunc dicebantur cantari tibiis paribus. Jam uno eodemque Dramate non ſemper ſonabant iiſdem tibiis, & tonis. Geminatis ita tibiis, foramina quoque aucta ſunt. Cur tot in Tibia vices? Olim Theatrum parvum erat, populi multitudo non ita magna, victu ſobria, modeſta. Ideo neceſſe non erat, ut tibiæ ſonum ingentem effunderent carminibus immixtæ. Sed cum Theatrum poſtea in ingentem molem ſurrexiſſet, major populi frequentia, ſpectatores minus modeſti, ſæpe ebrii, Tibiæ obſtrepere debuerunt. Si plura de Tibiis ſcire cupis, conſule Encyclop. Artic. *Flute*.

V. 210. Non licebat olim Romanis convivari de die, ne feſtis quidem diebus. *placari genium*, i. ingulgere genio, levari laboribus diei præcedentis.

V. 211. Numerorum licentia eſt motus vividior. *Modorum licentia* eſt cantus audacior ex remotioribus intervallis. hinc *motum* & *luxuriam*.

V. 215. Heinſium hic refellere operæ pretium non judico, id cuique obvium eſt. Non ſolum Muſice, ſed etiam apparatus omnis luxu corruptus eſt. Perſonæ Chori magnifico Syrmate ſolum verrebant. *vagus*, quia Chorus movebatur dextrorſum, vel ſiniſtrorſum in canendis ſuis carminibus.

Sic etiam fidibus voces crevere ſeveris,
Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps,
Utiliumque ſagax rerum, & divina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine, qui tragico vilem certavit ob hircum,

V. 216. Lyra prius conſtabat tribus chordis, deinde quatuor, demum ſeptem. Cithara quoque ſuas auxit. Prima inſerviebat Comœdiæ, altera Tragœdiæ. *ſeveris*, i. gravi ſimplicitate præditis.

V. 217. Inſcitia, & morum corruptela acre in te litteraria judicium labefactarunt. Poetæ, Oratoreſque Naturæ linguam aſpernati turgidum ſtilum in deliciis habere cœperunt, quærere acumina in ſententiis, animi ſenſa convolutis, & obſcuris dicendi modis implicare, in verbis & in figuris cultum & effuſionem affectare. Græci hoc vitium appellant *μετέωρα*, Quintilianus *præcipitia*. Iſtiuſmodi homines ſuum ingenium exagitabant, ut aliis negotium faceſſerent. Sic igitur Chori tragici ſtilus priſtinam ſimplicitatem oblitus eſt. Poetæ nimio Poeſeos furore perciti Oraculorum lingua uſi ſunt. Omnino difficillimi ſunt captu veterum Tragicorum, & Comicorum Chori. Adeo ſublimes ſunt, ut eorum ſenſus ne divinari quidem poſſit. in tranſcurſu egit Horatius de luxu apparatus. Riccobonus poſt v. 215 ponit v. 179. *aut agitur res* &c. cum ſequentibus, perinde ac ſi ibi agatur de rebus in ſcenam introducendis, non vero de Actionis partibus.

V. 220. Nuno de Satyrorum ſpectaculo verba facit. Suidas ait, Pratinam 32 Tragœdias Satyricas ſcripſiſſe primum, & vixiſſe 70 Olympiade, paucis annis poſt Theſpin. Comœdiæ quædam Italæ Satyros antiquos quodammodo imitantur. Vetus enim ſatyrus ſimilis eſt ferme Pantomino illi Bergomati vulgo *Arlechino*. Perſona, zona, cento, joci, geſtus, ſtilus, vocis ſonus, acumina, demum omnia, excepto calceo bifido Satyri, fere ſimilia. Satyrus proximus erat hirco, alter vero eſt feli. Satyrus colloquebatur cum Deo aliquo vel Heroe, Pantomimus noſter pariter cum aliquo Heroe: vide Euripidis Cyclopem. Quid attinet originem hujus ſpectaculi perſcrutari? Tempore Euripidis miſtum erat gravitate, & ſcurrilitate. Romani hoc a Græcis mutuati ſunt, ut populum & equites magna cum oblectatione detinerent. præmio hircum accipiebat Actor, qui præter cæteros auditoribus placuerit.

Mox etiam agreſtes Satyros nudavit, & aſper
Incolumi gravitate jocum tentavit. eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functuſque ſacris, & potus, & exlex.
Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo,
Ne, quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas.
Aut dum vitat humum, nubes & inania captet.
Effutire leves indigna tragœdia verſus,

Ut

V. 221. Heros tragicus v. g. Ulyſſes agebat in eo ſpectaculo *incolumi gravitate*, i. ſervabat ſuam gravitatem, & cum eo pariter agebat Satyrus nudus larva obtectus, pedibus biſulcis, ut riſum moveret ebriis ſpectatoribus.

V. 224. Populus, qui ſacris functus erat, dapibus ventrem implebat, & vino.

V. 225. *Commendare*, i. adhibere, in ſcenam proferre. *riſores*, qui omnia ludum faciunt. *dicaces*, i. mordaces, ſed pingui minerva.

V. 226. *Vertere* &c. gravia cum ſcurrilibus miſcere. V. g. Ulyſſes graviter luquitur, Silenus reſpondet ſcurriliter. Ubi definivit Satyrorum ſpectaculum, nunc aliqua præcipit de duabus partibus, nempe de Tragico Actore, & Satyrico. Actor tragicus ſive Deus, ſive Heros *quicumque adhibebitur*, qui in ſcenis præcedentibus graviter locutus eſt, non deſcendat ad ſtilum humilem, nec ſtilo nimis ſublimi tollatur. Primo vitio, ſtilus Satyri cum Herois confunderetur, & utriuſque partis grata oppoſitio, & contentio nulla eſſet; altero vero, Herois ſermo minime intelligi poſſet. Stilus igitur partis tragicæ oſtenditur exemplo allato.

V. 229. Indicat quodammodo Comœdias tabernarias, in quibus, ut Feſtus ait, viris excellentibus humiles permiſti, ut ſunt plagiarii, ſervi, cauponæ.

V. 231. Generatim de Satyris ea dicit, quæ poſſunt quidem referri quodammodo ad Attellanas Comœdias. *Tragœdia indigna*, i. quæ non debet effutire verſus humiles. Similis ſit Matronæ illuſtri, quæ publice choream ducit in feſtis. Illa prodit decenti vultu, & pudibundo, dum cernit in ſe intentes omnium ſpectantium oculos, & intelligit,

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata, & dominantia nomina ſolum,
Verbaque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo:
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Ut nihil interſit Davuſne loquatur, an audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum:
An cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum Carmen ſequar, ut ſibi quivis

git, quid de ſe cogitari poſſit a ſingulis. En exemplar tragicæ partis. In feſtis Deorum Virgines choream ducere jubebantur, at in feſtis magnæ Deæ Matronæ, Pontifice Maximo imperante. hinc *juſſa*.

V. 234. *Dominantia*, i. propria, vulgaria, quæ de ſuo dominio minime dejiciuntur per translationem. hinc proverbium: *ſuo quidlibet nomine vocare*. Satyri rudes vomebant impudica verba.

V. 235. Si ſcriberem Satyros ego non &c. non de ſe loquitur. ſic alibi dixit *brevis eſſe laboro*; *obſcurus fio*.

V. 236. Ego ſic enitar diſtare a ſtilo tragico, ut quid differat inter ſtilum Sileni, & Davi. Davus ſervus & Pythias ſerva perſonæ comicæ emunxerant crumenam Seni Simoni. In Satyris Dramaticis chorus ſemper ducebatur a Perſona Silenum agente.

V. 240. Dacierius & Sanado hunc locum ita ferme vertunt. Ex hiſtoria nota ego argumentum Satyricum elicerem, & ita e natura confingerem, ut ſpectatores novum quidpiam ſe audire crederent; tantum habet virium ſeries eventuum, quorum alii ex aliis derivantur; adeo argumenta vel communia novo decore, & venuſtate conveſtiri poſſunt. Batteux vero ſimilia ſic. Ego fingerem meos Dialogos juxta exemplar familiarium, i. juxta ea, quæ nota ſunt hominibus; ita imitabor Naturam, ut videar in medium afferre Naturam ipſam; ſpectatores decipientur, putabunt enim ſe naturam ipſam cernere. Sed revera opus fictum erit, ſupra mediocris ingenii vires: *ſudet multum* &c. *de medio ſumtis*, i. communibus. Marmontellius in ſua præf. ſic vertit: Mais dans le Comique, l'aiſance, & le naturel de la compoſition faſſent dire à chacun, que rien au monde n' etoit plus facile.

Digitized by Google

Speret idem, ſudet multum, fruſtraque laboret:
Auſus idem. Tantum ſeries, juncturaque pollet,
Tantum de medio ſumtis accedit honoris!
Sylvis deducti caveant me judice Fauni,
Ne, velut innati triviis, ac pene forenſes
Aut nimium teneris juvenentur verſibus unquam,
Aut immunda crepent, ignominioſaque dicta:
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi ſubjecta, vocatur Iambus,
Pes

V. 244. Nunc præcepta dat de ſtilo ſatyricæ partis. Satyri exeunt ſylvis, ergo acre in rebus judicium non oſtendent, ut ii, qui urbem incolunt; *ne velut innati* &c. ſunt quidem *riſores & mordaces*, tamen non voment impudica verba, ſecus honeſtorum virorum aures læderent. quis igitur erit eorum ſtilus? Non color Tragicus eſt ubique adhibendus, ne, ut dixi, tollatur grata caracterum diverſitas: non Comicus; nam Davus nimis callidus eſt, & ingenioſus, Silenus autem exit Sylvis. Qui famulus eſt, & nutritor Bacchi, debet eſſe ingenuus, ſimplex; ergo familiari ſermone utatur ſcriptor Satyrorum. quiſque ſperabit, fore ut Satyros eodem modo loquentes inducere poſſit, quia eorum elocutio videbitur prorſus cura carere: *ſperet idem*. Sed ea occulta dignitas ac præſtantia rebus accedere debebit, quam pauci aſſequi poterunt, nempe ſeries, & nexus rerum. facile eſt aliqua verba ſimpliciter & naturaliter facere, ſed diu ſermonem ita ſuſtentare, ut nunquam deſcendat, nunquam frangatur, ut nulla vis nexui inferatur; hoc opus, hic labor eſt.

V. 246. Juvenili more laſciviant.

V. 249. Plebecula, quæ veſcebatur cicere fricto, & nucibus.

V. 251. Dicit alibi ſuum cuique generi Poeſeos eſſe ſtilum, armoniam, numerum, neceſſario etiam verſificationem nunc ſubjungit. Jambus ſpectat dramaticum genus. *Hunc ſocci cepere pedem, grandeſque cothurni*. celeriter it, *pes citus*. conſtat ſylaba brevi, & longa, brevis premit longam, idcirco præceps eſt. Jambici verſus, qui quatuor pedi-

Pes citus, unde etiam trimetris adcreſcere juſſit
Nomen iambæis; quum ſenos redderet ictus:
Primus ad extremum ſimilis ſibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo, graviorque veniret ad aures,
Spondæos ſtabiles in jura paterna recepit
Commodus, & patiens: non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter: Hic & in Acci
Nobilibus trimetris adparet rarus, & Enni.
In ſcenam miſſus magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex:

Et

pedibus conſtabant dimetri vocati; & trimetri, qui ſex pedibus. quia, cum jambus duret tempus unum cum dimidio, & duo jambi tria tempora; hinc ſingulos binos jambos una tantum percuſſio & menſura conſequebatur, ideoque quatuor jambi una conjuncti vocati dimetri, & ſic de cæteris. Hic verſus ad dialogum multum faciebat, ſed viſus difficilis factu, ſervatis uſque legibus.

V. 256. Itaque intermiſtus eſt ſpondæus duobus temporibus conſtans, vel quoque Dactylus, ſed ea licentia raro utebatur inſignis Poeta, & caute. Quia ſpondæi per ſe numeros perturbabant, & armoniam; numeros, quia jambicus verſus proprie dictus v. g. trimeter novem temporibus conſtabat; miſtus vero ſpondæis tribus, decem tempora cum dimidio perdurabat, idcirco intervalla longiora erant, & menſura tota minus exacte ducta; Perturbant armoniam, quia interrumpunt gratam illam brevium & longarum mixtionem ſibi mutuo ſuccedentium in verſu jambico puro, & efficiunt, ut & in tertio & quinto pede tres longæ bis cohæreant, & in primo duæ.

V. 261. Hinc ponderoſior fit verſus jambicus, ſpondæis refertus, & argumento eſt, opus nimis celeriter compoſitum eſſe, & negligenter, & Auctorem artis ſuæ ignarum eſſe.

V. 262. *Premit* Auctorem culpa artis ignoratæ.

V. 263. Non quivis ita acri judicio pollet, ut videat, ubi verſus peccet quoad numeros, & armoniam. Sunt enim interdum in eodem opere verſus tragici, lyrici, Comi-

mi-

Et data Romanis venia eſt indigna Poetis.
Idcirco ne vager, ſcribamque libenter? ut omnes
Viſuros peccata putem, quod tutus & intra
Spem veniæ cautus; vitavi denique culpam
Non laudem merui. Vos exemplaria græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At noſtri Proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales: nimium ſapienter utrumque
(Non dicam ſtulte) mirati. Si modo ego, & vos
Sci-

mici, qui ſententiæ, quam continent, auctoritate minime nituntur. Qui ſcribere carmina volunt, immortalitate digna, ne minimum quidem ſibi connivere debent. Servius in 4. Æn. notis refert hunc Horatii (ut affirmat) verſum; *nec tanta in metris venia conceditur uti*. Niſi error ſubeſt, verſus hic poſtponi poteſt verſui *aut ignoratæ*.

V. 265. An idcirco quia venia data eſt Romanis, ſcribam opus neglectis præceptis? nonne potius mihi perſuadeam, meos errores in oculos omnium incurſuros?

V. 266. *Tutus* &c. nonne cautus eſſe debeo, & in tuto, perinde ac ſi nullam veniam impetraturus ſim?

V. 267. *Vitavi*. id faciendo tamen laudem non merui, vituperationem tantum vitavi. Sed virtutes inſuper quærendæ ſunt.

V. 270. Plautus erat ingenio facili, hilari, urbaniſſimo, tamen ejus facetiæ non eo ſale, qui optime dicta decet, condiebantur. Aliæ e trivio, atque adeo e luſtris petitæ, aliæ frigidæ, ejus verſificatio plus æquo liberior eſt, ſpondæorum, & dactylorum multa vis, unde perturbabat motum, & armoniam; motum, inquam, quem metiebantur veteres tollendo, & deprimendo pollice, *digito*; armoniam, de qua aures judicant, *aure*. elocutio tamen, & vis comica Plauti ab Horatio non reprehenditur. Populus iis omnibus vitiis plaudebat. an illorum temporum pinguem Minervam incuſem? cavebo, ne id dicam, ait: *non dicam ſtulte*: Verum magna Plauti dignitas ita animos Romanorum delinierat, ut alii levibus illis vitiis veniam darent, alii plauderent; hi præjudicata opinione ferebantur, illi nimia indulgentia. Hoc tam acri, & juſto judicio uſus Horatius Plautum minime lædit.

Digitized by Google

Scimus, inurbanum lepido ſecernere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus, & aure.
Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Qui canerent, agerentque peruncti fecibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa
Lau-

V. 275. Poſtquam egit de argumento, ſtilo, caractere, verſificatione Tragœdiæ, ordo poſtulat, ut & de Comœdia dicat, ſed quia ejus origo obſcura eſt, & multo poſt tragœdiam exculta, ideo originem quærit utriuſque Poematis, quod nomine Tragœdiæ olim veniebat. Heinſius & Riccobonus hoc non viderunt. Ante Theſpin fuere Poetæ Tragici, ſed quia indigeſtum illud ſpectaculum minime immutarunt, & Theſpis primus nonnihil novi induxit, fere dicitur inventor Tragœdiæ. Theſpis non modo ſuos Actores plauſtris vexit, eorumque ora fecibus adſperſit, ſed plura alia invenit.

V. 277. Tragœdiæ apud veteres canebantur. *agere* eſt imitari geſtibus.

V. 278. Difficilius eſt res invenire, quam inventis addere. Æſchylus Theſpin imitatus multa excogitavit. (V. Mantiſſam Comm. *de orig. Tragæd.* & Ind. *Theſpis* & *Æſchylus*.) Suidas & Athenæus perſonæ repertorem ajunt fuiſſe Eterilum Poetam Theſpidis æqualem, Horatius vero Æſchylum. Boileau verſibus 14 imitatus eſt hunc locum. *La Tragedie informe* &c.

V. 279. *Pulpita*, i. Theatrum, λογεῖον.

V. 281. Heinſius hunc locum Chaos vocat, & verſum hunc cum tribus ſequentibus transfert poſt verſum 150, ubi ſermo fit de ſatyris, quibus putat veterem Comœdiam ſucceſſiſſe. Sed fallitur: cum enim Horatius inquit, veterem Comœdiam ſubſecutam fuiſſe Theſpidis, & Æſchyli Tragœdias, non contendit, poſt hos nullum amplius extitiſſe Poetam Tragicum, veteremque Comœdiam originem duxiſſe a Tragœdia, ſed nos docere vult, Comœdiam excoli cœpiſſe, poſtquam Tragœdia ad perfectionem pervenit.
Id

Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poetæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:
Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.
Nec virtute foret, clarisque potentius armis,

Quam

Id quoque ſenſit Ariſtoteles, qui poſtquam dixit, Tragœdiam ex Hymnis ortam, qui Baccho canebantur, & Comœdiam a cantionibus obſcœnis, quæ eidem Baccho dicebantur, gradum facit ad Tragœdiam, cujus mutationes refert, quas induxere Theſpis, Æſchylus, & Sophocles, & redit ad Comœdiam. Si Heinſius attente conſideraſſet, quid Ariſtoteles ſcripſerat, Horatii locum intellexiſſet, nihilque immutaſſet. Juxta Ariſtotelis doctrinam, quam Horatius amplexus eſt, Tragœdia & Comœdia initio ſtatim unum idemque fuere. Sed poſtquam ſeria ludo disjuncta ſunt, Tragœdiam ornandam ſuſcepere Poetæ, Comœdiam reliquerunt. Perfecto vero tragico genere, ad colendam Comœdiam ventum eſt. Ætate Æſchyli Chronides, Magnes, & Phormys egregie operam ſuam collocarunt in Comœdia perpolienda, quam poſt Æſchyli obitum perfecerunt Cratinus, Matho, Epicarmus, Crates, Eupolis, Ariſtophanes, qui eadem fere ætate vixerunt. Jure igitur Horatius: *ſucceſſit vetus his Comœdia*. id faſſus eſt etiam M. Antoninus, qui libro XI, paragrapho 5. ait: μετὰ δὲ τὴν τραγωδίαν ἡ ἀρχαία κωμωδία παρήχθη.

V. 284. (V. Mantiſſ. Comm. *de origine Comœdiæ*).

V. 285. Romani Poetæ nempe Ennius, Accius, Pacuvius, & alii, poſtquam Græcos Auctores in latinam linguam verterunt, palliatasque Comœdias ediderunt, ſumto a græca Hiſtoria, Græcisque moribus argumento, inde Comœdias ſcripſere, quæ Actionem Romanam referebant.

V. 288. Loquitur de Comœdiis prætextatis, & togatis, (V. Mantiſſ. Comm. *de origine Commœd.*) non autem de Tragœdiis, ut perperam nonnulli cum Sanadone. Ante Horatium enim Tragici Poetæ Romani argumenta a Græcis mutuabantur.

Quam lingua, Latium, ſi non offenderet unumquemque Poetarum limæ labor, & mora. Vos o Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non Multa dies, & multa litura coercuit, atque Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

Ingenium miſera quia fortunatius arte Credit, & excludit ſanos Helicone Poetas De-

V. 290. Si patienter Poetæ limare vellent opera ſua. Hinc Quintilianus ait : *in Comœdia maxime claudicamus, labor & mora ;* hæc duo neceſſario ſervanda ſunt a Scriptore in limandis operibus ſuis. Omnis cura adhibenda eſt, ſæpe relegendum opus uſque ad faſtidium, *labor* : Deinde tempus neceſſarium ad limanda opera præcedat eorum editioni. Nam vel occaſio, vel locus, vel liber caſu apertus ſuppeditare poteſt nonnulla nova cognoſcenda. Præterea dum fervet τῆς φαντασίας æſtus, judicium minus ſincerum eſt, minus liberum. Auctor amore ſui captus veluti dulcis mater nimis in oculis fert partus ſuos, & pluris æſtimat, quam par eſt. Hoc præceptum pertinet ad verſificationem præcipue ; hoc loco eſt veluti Epiſodium.

V. 294. Metaphora ſumta ab opificibus, qui extremis digitis cælati marmoris vel ligni ſuperficiem percurrebant, ut ſcirent, an inæquale eſſet opus : græce ἐξονυχίζειν. perfectum opus decies perpoliendum eſt, ſed modus in limando adhibendus, ne *ſectantem lævia nervi deficiant* : ut ſupra.

V. 295. Viam ſibi ſternit ad præcepta generalia tradenda. Omnia hic condit ſale optimo, urbaneque carpit quoſdam, qui ſordidi, ſingulares, ruſtici videri maxime volebant, atque ita contendebant, ſe in hominum exiſtimationem venturos. Cicero ait : *Negat enim ſine furoris afflatu Democritus quemquam Poetam uſquam eſſe poſſe*. idem ſentiebat Plato. Stulti homines, qui res ſecus ac oportet, & verba, ſecus ac ſonant, accipiunt, in ea ſunt hæreſi, ut credant, nullam operam, nullum laborem impendendum in artem Poeticam, & ſatis eſſe imitari Poetarum externam conſuetudinem, ac mores. *Ingenium* eſt facilitas illa naturalis, quæ nullo labore adhibito res producit. *Ars miſera* eſt conatus quiſque irritus, qui oſtendit magis voluntatem, quam ingenii vim, & artem, quam Naturam. *ſanos poetas*, i. qui ratione utuntur, & τῇ φαντασίᾳ optime temperata.

Digitized by Google

Democritus: bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium, nomenque Poetæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit: O ego lævus,
Qui purgo bilem ſub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata. Verum
Nil tanti eſt. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus & officium, nil ſcribens ipſe, docebo:
Unde parentur opes, quid alat, formetque Poetam:
Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte ſapere eſt & principium, & fons.

Rem

V. 297. Hoc dicit cum indignatione. Illi ſtulti aucupabantur famam, & præmia, quæ debebantur magnis Poetis.

V. 300. Tò *nunquam* afficit vocem *commiſerit*.

V. 301. Næ ego nimium ſimplex ſum, qui velim meam bilem purgare quotannis ineunte vere. Si chartas bile ſpargere vellem, ſtultus æque eſſem, ac cæteri, nemo melius quam ego, verſus faceret. Horatius bili obnoxius erat.

V. 303. Sed non tanti facio hanc gloriam.

V. 304. Boileau hunc locum imitatus in fine ſuæ Poet. verſibus 8. *Pour moi, qui juſqu' ici* &c. Tacite Horatius ſignificat, ſe non vocandum eſſe Poetam, quia nec Epicum Poema, nec Dramaticum ſcripſerat.

V. 308. Judicio in rebus acri ei opus eſt, qui bene ſcribere vult.

V. 309. Res reperiuntur apud Philoſophos, quas cum animo combiberimus, facili negotio verbis enunciabimus. particula illa amentiæ, quam poſtulat Democritus non dedecet ſapientiam, quam Horatius poſcit. Hæc duo leni temperatione mollita magnopere inſerviunt moderando τῆς φαντασίας igni. Boileau verſibus 12 ait: *Aimez donc la rai-*

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes:
Quod ſit conſcripti, quod judicis officium: quæ
Partes in bellum miſſi ducis: ille profecto
Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ, morumque jubebo
Doctum imitatorem, & vivas hinc ducere voces.
In-

raiſon &c. In Poeſi regnare debet Philoſophia, non ea tamen, quæ ex libris deſumitur, ſed quæ ex Poetæ animo hauritur, ſenſuſque & cogitationes excitat. Lucretius ſublimis eſt, cum Epicuri pictorem agit, non cum diſcipulum. Vereor, ne noſtri ſapientes Philoſophiæ injurii ſint per nimiam ejus conquiſitionem. Ut ipſa in exiſtimationem hominum veniat, non neceſſe eſt, ut ſe velut toto corpore proſtituat, aut formam indecoram induat. Si tanquam captiva in duros verſus, & futiles, proſæque ſimiles includatur, inſurgent tum ejus adverſarii, qui fere ſemper ei litem intendunt, exclamabuntque ovantes: en quo deveniunt Poetæ, qui Philoſophari volunt! Sed iſti homines potiori jure dictitare deberent: en quo deveniunt Philoſophi, qui neſciunt, quæ & quanta Poetæ neceſſaria ſint. ita Alambertus. T. 5.

V. 318. Doctus imitator debet ſæpe configere oculos in exemplaribus vitæ humanæ, & hinc percipere veras naturæ voces. Hoc attinet ad elocutionem. Voces autem non ſolum veræ propter exemplarium ſimilitudinem ſint, verum etiam animatæ, exemplaris inſtar. Philoſophus videbit, non ſatis eſſe ſibi recta animi ſenſa proferre, verum etiam ſibi neceſſariam eſſe eloquentiam, *vivas voces*. Jam vero elocutio debet eſſe egregia, ſimulque naturalis; numeroſa, ſimulque facilis. doctus Poeta in intimis animi penetralibus abdita multa tenet, quæ exire avent, ut apte alicubi collocentur. Ex his ſequentia non ægre intelliges. Boileau verſibus 14 fere eadem dicit. *Que la Nature donc* &c.

Interdum ſpecioſa locis, morataque recte
Fabula, nullius veneris, ſine pondere, & arte,
Valdius oblectat populum, meliuſque moratur,
Quam verſus inopes rerum, nugæque canoræ.
Grajs ingenium, Grajs dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe, triens: heus!
Rem poteris ſervare tuam. redit uncia: quid fit?
Semis. An hæc animos ærugo & cura peculi
Quum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſ-

V. 319. *Locis*. Sanado ait, ſignificari locos communes Philoſophiæ moralis, ex quibus tanquam fontibus præclaras hauriunt ſententias Poetæ; quos locos Cicero vocat *argumentorum ſedes*. Sed germanus ſenſus hic videtur eſſe. Actio caracteribus digne ac vere pictis, & notatis prædita in quibuſdam locis: *ſpecioſa locis*: licet gratia careat, & ſententiarum pondere: *ſine pondere*: & careat cura, nullo delectu, atque ordine verborum & ſyllabarum adhibito: *ſine arte*: magis oblectabit, & morabitur ſpectatores, quam pulchri verſus, ſpecioſæ ſententiæ, quæ ingenio Actorum non concinunt, & ſunt inſtar venti, ac ſtrepitus dumtaxat, qui evaneſcit in auras: *nugæ canoræ*.

V. 323. Græci utraque re vigebant. *ingenio* in ſeligendis ſcite rebus; & arte, & cura in verbis: *ore rotundo* loqui, i. perfecte.

V. 324. * Sanado unus legit *propter*, quia opinatur cum quibuſdam Grammaticis τὸ *avarus* accipi non poſſe pro τῷ *avidus*. Sed errat. Ep. 1. lib. 2. v. 179. legimus *laudis avarum*. * Græci ſpectabant gloriam, quæ ſola ingenium ſolet excitare.

V. 327. As Romanus dividebatur in 12. uncias. Sextans erat ſexta pars aſſis, nempe 2 unciæ; quadrans quarta pars, nempe 3 unciæ; triens tertia pars, 4. unciæ. Hanc aſſis partiendi rationem diſcebant pueri, ut utiliter negotiis vacarent.

Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ,
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, eſto brevis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis cauſa ſint proxima veris,
Ne quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi:
Ne pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

V. 332. Libri ut diu incolumes ſervarentur, oleo cedrino ungebantur, & claudebantur cupreſſinis arcis. nam duo illa ligna non putreſcunt, nec tineas nutriunt.

V. 333. Non reſpicit Poeta diverſa Poetarum opera, ut falſo nonnulli autumant, ſed id, quod ſpectare debent Poetæ, ſcilicet docere, & delectare. nam, ut Phœdrus ait, *niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria*. Duo ſunt Poematum genera, alia docent, alia oblectant. Videlicet in illis Poeta præcipue docere vult, in his delectare, ita tamen, ut alterum ab altero non disjungatur: *utile* in primo genere dominatur, *dulce* in altero. Niſi ita res habeat, primum videtur durum, aridum, & triſte, alterum vero inſulſum, inane, nulliuſque frugis.

V. 335. Hoc præceptum pracipue pertinet ad Poemata didactica. Ibi brevitas inter cetera placet, in primis ſi cum perſpicuitate conſocietur, *ut cito dicta* &c. (V. Præf. *de Poeſi didactica*.)

V. 337. * Bentlejus & Sanado hunc verſum rejiciunt tanquam malum, & vanum. Vereor, ne nimis ſubtiliter de eo judicent. certe metaphora, quam continet, optima eſt. Supervacuum effunditur vaſo pleno. *

V. 338. Veriſimilia ſint, quæ finguntur ad oblectandum.

V. 339. Fabula non eſt hic Deorum, & heroum poeticorum hiſtoria, ſed actio Poematis. Quæ in Mythologia reperiuntur, Poeſi cognata ſunt, veritatiſque ſpecie ſe ſe commendant. Sed quæ fingit Poeta non veriſimilia, injucunda ſunt, & ab eo Poemate excludenda, quod concinnatur ad delectandum. His præceptis omnia Poeſeos genera obnoxia ſunt.

Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis,
Celſi prætereunt auſtera poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Soſiis; hic & mare tranſit,
Et longum noto Scriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.

Nam

V. 341. Senatores. vide Nieupoort. improbat poemata quæ ſunt frugis expertia.

V. 342. Equites rejiciunt poemata, quæ nullo ſunt oblectamento. Ut igitur tibi ſuffragentur tum illi, tum hi, miſce utile dulci. *Rhamnes*, i. Romani. tres erant antiquæ tribus, Rhamnenſes, Tatienſes, Luceres. *Auſtera*. h. e. arida, triſtia, dura.

V. 343. Proverbium deductum eſt ex uſu ſuffragandi in comitiis. Suffragator puncto ſignabat e veſtigio nomen ejus, cui favebat. Boileau verſibus ſex Horatii præceptum ita retulit. *Auteurs pretez l'oreille*.

V. 347. In magnis Poetis Homero, Virgilio ſunt aliqui loci, qui veriſimilitudinis limites prætergrediuntur. Sed hæc errata ſi rara ſint, ſi levia, nec ſemper eadem, venia digna ſunt. Premuntur ſane Poetæ duriſſimis legibus, & inſuper vetantur oſtendere, quantopere in iis ſervandis inſudarint. Facile eſt in eodem ſtadio minime currentibus Zoili virgula uti. Sed præſtat etiam a ſtadio percurrendo abſtinere, ſi vires deficiant. Maximus Poeta ceteris omnibus Scriptoribus debet antecellere. Qui ſe tali honore dignum autumat eum ſudoris pretio emat. Verum & hanc artem callenti indulgentia aliqua concedenda eſt. Quot errores leves & prope ſenſuum aciem fugientes, quot voces non prorſus aptas, quot inverſiones inconcinnas, quot verba, & interdum etiam verſus pene ſupervacaneos cogimur remittere vel optimo Poetæ? Ecquis tandem verus judex hac ſuper re adhiberi nequeat, modo de verſibus alienis ſententiam ferre jubeatur, non ſuis? Poeta cogitur incedere venuſte compede vinctus; poteſt ne ad metam uſque pervenire, quin interdum leviter vacillet? Minus ne dignus admiratione cenſebitur? Quis ſcriptor (ſive nolit, ſive nequeat meliora reponere) non ſe ſæpe in errore deprehendat, non ſe

mi-

Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus, & mens,
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum;
Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis; quas haud incuria fudit,
Aſt humana parum cavit natura. quid ergo?
Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, venia caret; & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terve bonum cum riſu miror, & idem

minimis quibuſdam vitiis teneri videat, quæ celare ſtudet, ſperatque latere? Si nobiſmetipſis prorſus ſatisfacere voluerimus in ſcribendo, profecto nihil unquam chartis mandaremus, & poſteris. Nos jure Æneida admiramur. At Virgilius eam flammis tradendam curaverat., (Alambertus T. 5.)

V. 351. Levis licentia eſt leve erratum, quod facile compenſari, ac vinci poteſt. Si quid decoris accedat, ejus gratia erratum obruitur.

V. 352. Ita cum Clar. Sibiliato lego. ſecus Horatius ſibi contradiceret in communi hac lectione: *quos aut incuria fudit, aut humana* &c. Quomodo enim ille, qui toties inculcat limam adhibendam eſſe in opere perficiendo: V. g. verſu 46. *in verbis etiam tenuis, cautuſque* &c. Et verſu 292. *carmen reprehendite, quod non multa dies* &c. & alia alibi ſimilia, quomodo, inquam, hic dicere poterat, ſe non offendi maculis, quas negligentia effudit? notanda hæc duo verba *incuria fudit*.

V. 357. *Ceſſat*. qui ſæpe errat, ac labitur, ſimilis eſt illi Chærilo malo Poetæ, quem Alexander magna pecunia donavit. Ep. 2. lib. 2. Si in futilibus hiſce poematibus duo vel tria niteant, ridemus, & admiramur, Hæc tam pulcra, exclamamus, in malo Poeta!

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Ut Pictura, Poeſis erit quæ: ſi propius ſtes,
Te

V. 359. Cum contra doleamus, atque indignemur, ſi quando contingit, ut Homerus dormitet, h. e. paululum erret. Horatius adeo colit Homerum, ut non audeat quidquam affirmare de ejus vitiis, & quænam ſint, edocere; leviter tantum ſuſpicatur, monetque lectores, non omnia eſſe perfecta in viris vel illuſtribus. *τὸ bonus* innuit dulcem amorem, & exiſtimationem, qua quiſque lector Homerum proſequitur. Hic Auctor erat tam ingenuus, tam ſimplex, tam modeſtus, ut bonus vere nominandus fuerit.

V. 360. Excuſat imbecillitatem ejus. Verum non tam in opere longo conficiendo, Auctori, quam in legendo, lectori ſomnus quandoque obrepit. Lector vult, ut Poeta ſibi ſemper placeat, quærit tamen interdum quietis intervalla. Hinc prope *ἀδύνατον* eſt, longum Poema non gravate pervolvere nulla interjecta mora. Revera longum Poema ſimile eſſe debet (itali dicunt) *ad una Converſazione*, ubi identidem tantum, & ex intervallo vivida omnia fiunt, & animata. In re nobili, ac diu, multumque pertractata verſus deſinunt eſſe jucundi, ubi negligenter facti apparent, & ex altera parte voluptas aſſidua animi exercitatione hebetatur. Hinc arbitror, Homerum, & Virgilium nunquam perlectos fuiſſe ſine aliqua moleſtia, vel ab ipſis utriuſque admiratoribus. Ea etiam de cauſa faſtidio afficimur aliquando in utroque Poeta pervolvendo, quod pauca in iis longis operibus deprehendimus, quæ ad rem noſtram faciunt. Alambertus T. 5.

V. 361. Hoc tantum differt inter Poeſim & Picturam, quod hæc coloribus, illa verbis rem exprimit. Ad utramque pertinet inventio, diſpoſitio, acre in rebus judicium. Sunt loci, qui perſpiciendi ſunt prope, & qui procul. hic locus obſcurus eſt. Dacierius ita explicat. In Pictura & Poeſi certa proſpectus ratio requiritur, qua ſublata perperam judicatur. Quidam poetici loci examinandi ſunt cum ceteris ſuis partibus conjuncti. Sanado vero fere ſimilia ſic. Pergit Horatius de erratis venia dignis loqui. Quædam picturæ partes a corpore toto ſeparatæ ſuam venuſtatem, ac vim amittent, ita dicendum de Poeſi. Ex iis tantummodo partibus judicium ferre de Poetæ, & Pictoris dignitate impe-

pe-

Te capiet magis: & quædam, ſi longius abſtes,
Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen:

F 3 Hæc

periti hominis eſt, & injuſti rerum æſtimatoris. Batteux vero ſecutus Dacierium ſic: Ut vera ſit hæc Horatii comparatio, iſta vox *Poeſis* indicare debet alicujus Poematis locum. Non enim video, totum quoddam Poema conſpiciendum eſſe eminus, luce ſubobſcura, & ſemel. Etiam Epigramma, ſi recte ſcriptum ſit, ſemper placet. ſenſus igitur eſt; Ut ſunt quædam tabulæ pictæ, quæ procul proſpiciendæ ſunt, ita in Poemate ſunt quidam loci, qui tam diligenter ſcrutandi non ſunt, nec omni ex parte abſoluti, ut qui ad variandam rem tantum poſiti ſunt, qui per ſe non movent, nec magni ſunt ponderis, qui remota ex parte ſeſe præbent intuendos. Sunt tabulæ, quæ ita pictæ ſunt, ut procul conſpiciantur luce ſuboſcura, ſemel: id notum eſt, ſed nullum Poema, nullus Poematis locus extat, qui ita ſcriptus ſit, ut procul, ſemel, & ſubobſcura luce videndus ſit. Vel enim malus erit ille locus, vel mediocris. Conſtat, poematum locos quoſdam eſſe, qui certa tantum proſpectus ratione cernendi ſunt, ut tabulæ pictæ, & qui ab aliis locis ſibi cognatis ſejungi nequeunt. Satis igitur fuiſſet dicere: eadem eſt ratio tabularum pictarum, & poematum. Drama conſpiciendum eſt in ſcena, non in libro legendum; ſcena conjuncta cum præcedentibus, & conſequentibus non ſola, & ſeorſum. Hoc modo Poeta monet eos, qui de poematibus judicare volunt, ne in eo ſe ſtatu rerum ſiſtant, in quo eſſe debent, ut recte judicent. Marmontellius in ſua præfatione hæc habet ad hujuſce loci explicationem. Il y a meme en Poeſie, com'en Peinture un genre, qui vu de loin produit ſon effet, quoiqu'il n'ait pas la correction des details; mais ce qui eſt fini, a l'avantage de pouvoir etre vu de pres, toujours avec un plaiſir nouveau. * Mihi vero hæc videtur Poetæ mens. Sunt quædam Epigrammata, Satiræ, Jambi, Odæ, Elegiæ, Dramata, quæ vel obſcœnitatem jactant, vel ſele adſperguntur, vel invidiam conflant honeſtis viris, vel arcana detegunt, vel impia ſunt in Deos. Hæc non ſunt in lucem proferenda, nec decies legenda, quia non prorſus pulchra ſunt. Sunt etiam multa poemata, cujus generis non pauca Martialis Epigr., quæ allegoriæ involucro teguntur, quæ ſententiæ acumine tan-

tum

Hæc placuit ſemel ; hæc decies repetita placebit.

O Major juvenum, quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te ſapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi. Conſultus juris, & actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt: Mediocribus eſſe Poetis,
Non homines, non Di, non conceſſere Columnæ.
Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papaver

Of-

tum valent. Illa igitur primo adſpectu nitent, & ſemel tantum placebunt, & magis te capient, ſi longius abſtes, h. e. ſi ea parum examines, ſecus videres allegoriam rei non convenire, & alia vitia. Hæc igitur *amant obſcurum*, hæc ſemel tantum placebunt. Contra vero alia Poemata, quæ non modo his vitiis carent, ſed etiam omni ex parte abſolvuntur, in lucem proferenda ſunt, & pluries legenda; nec formidant judicis acumen. de his poſtremis dixit E. I. 1, 12. *Condo & compono, quæ mox depromere poſſim*. *

V. 366. In omnibus mediocritas vel laudanda, vel toleranda eſt, non autem in Poeſi. Boileau 4 verſibus id ſignificat. *il eſt dans tout autre art* &c. Si vis me docere aliquid, proſa Oratione id efficias, ſin mavis verſibus, memento tibi pulchre ſcribendum eſſe. Cic. de Orat. lib. 1. c. 26. ait: „ itaque in iis artibus, in quibus non utilitas „ quæritur neceſſario, ſed animi libera quædam oblectatio, „ quam diligenter, quam prope faſtidioſe judicamus! ne- „ que enim lites, neque controverſiæ ſunt, quæ cogant ho- „ mines ſicut in foro non bonos Oratores, item in Theatro „ Actores malos perpeti. „

V. 373. Dii ſunt Apollo, Muſæ. columnæ ſunt, quibus bibliopolæ ſuſpendebant venales libros. vel columnæ bibliothecæ Palatinæ, quæ reſonabant verſuum cantu. *Hinc ruptæ lectore columnæ*.

V. 375. Sardinia abundabat herbis amaris. *Sardis videar tibi amarior herbis*. Apes igitur exſugentes amarum ſuccum, mel quoque amarum fingebant. papaver miſtum melle Sardo.

Offendunt, poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inventumque poema juvandis
Si paulum ſummo deceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis,
Indoctuſque pilæ, diſcique, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ.
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere: Quid ni?
Liber & ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
 Tu nihil invita dices facieſve Minerva:
Id tibi judicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Meti deſcendat judicis aures,
Et Patris & noſtras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus poſitis. Delere licebit,
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.
 Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum

V. 378. Sic poema, niſi excellat, eſt deteſtabile.

V. 382. Reſpondebit hic: quid ni verſus faciam? cum ſim liber, & eques, & bene audiam? perinde ac ſi divites & nobiles viri omnia facere & ſcire poſſent, tametſi nihil prius didicerint. *cenſus*, i. præſertim recenſitus habere ſummam equeſtrem. *nummorum*, i. ſeſtertiorum 400000. *vitioque:* perinde ac ſi qui bonis ſunt moribus, ideo concinni ſint ad verſus factitandos. fortaſſe Horatius ſpectabat aliquos equites, qui tam ridicula ſentiebant.

V. 385. *Facies* pertinet ad Poeſim, *dices* ad Eloquentiam. Poſtea palam facit, quibus auxiliis Poeta indigeat, ſcilicet Natura, arte, labore, & conſilio ſinceri Amici, & docti. Convertit ſe ad majorem natu Piſonem. Prudenter agit in reſtinguendo junioris Piſonis amore, quo flagrabat in ſcriptas jam ab ipſo Tragœdias, & in earumdem editionem. Modeſtiam deinde Poetæ facile perſpicies ex ordinata Criticorum commemoratione, ubi ipſe ſe tertium ſubjicit. Tarpæ, & Piſoni Patri.

V. 386. *Judicium* ſtatuit, quid optimum factu, *mens*, quod ſtatutum eſt, exequitur.

V. 391. Veretur Horatius, ne Piſo animum deſpondeat

Cædibus, & victu ſœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc Sapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra prophanis:
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis;
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis Vatibus, atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæuſque mares animos in martia bella
Verſibus exacuit. Dictæ per carmina ſortes,
Et vitæ monſtrata via eſt, & gratia Regum
Pieriis tentata modis, luduſque repertus,

Et

motus rei difficultatibus hactenus propoſitis, & laboribus exantlandis, & cura adhibenda in ſcribendis verſibus, idcirco gradum facit ad laudandam Poeſim, & ſatis liquido oſtendit, nullo modo eam dedecori eſſe viro nobili, qui ei operam dat. Heinſius veluti dictator vel ſacerdos Numine afflatus hunc locum alio transfert, nempe poſt verſum 334, ubi agitur de utili miſcendo dulci, contentuſque judicio ſuo ceteros omnes contemnit. Homo profecto furit, & bacchatur.

V. 392. Sylveſtres homines veſcebantur carnibus incoctis, & bibebant ſanguinem. Poetæ fuere Sacerdotes, Philoſophi, Legislatores primis temporibus. Boileau cum *Horatio* concinit verſibus 24. *Avant que la raiſon* &c.

V. 401. Præterita jam prima poeſeos ætate, moribus jam fere compoſitis, legibus optimis datis, Poeſis certam viam inivit. Ad erigendos poſtea hominum animos, ad gloriam excitandam cecinit illa res geſtas virorum illuſtrium. Homerus & Tyrthæus hac ſecunda ætate floruerunt.

V. 403. *Sortes*, i. oracula carminibus pronunciata.

V. 404. Naturæ arcana Poeſis docere cœpit. *vitæ*, i. naturæ. Poetæ viris Principibus obſecuti ſunt. *Gratia Regum*.

V. 405. Loquitur de Tragœdiis & Comœdiis, quæ recitabantur diebus feſtis ad recreandos laboribus feſſos animos.

Et longorum operum finis; Ne forte pudori,
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit, video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Mul-

V. 406. *Ne forte*, &c. hinc apparet, has laudes Poeſeos dedita opera dictas eſſe ab Horatio, ut nimirum Piſonem ſolaretur, terroremque in eo imminueret. Contra mentem igitur Poetæ Riccobonus hos verſus initio Epiſtolæ poſuit, ubi terror maxime Piſoni incutiendus erat: & deſipit Heinſius, qui hæc loco mutavit, & conjunxit iis rebus, quibus digne & apte adhærere nequeunt.

V. 407. *Lyræ ſolers*. egregius dicendi modus.

V. 408. Præcepta Poeſeos tradens juvenibus, prætermittere non debebat hanc controverſiam adeo agitatam, utrum Poeſis a Natura an ab Arte oriatur. Sunt enim qui laborem peroſi fere negligunt ſtudia, confiſique ingenio ſuo, quod ſæpe, ſecus ac ipſi opinantur, infelix eſt, omnia ſibi proſpere cedere gloriantur. Ne igitur Piſones in hunc errorem prolabantur, liquido demonſtrat Poeta, Naturam, & Artem coire debere. Natura certe eſt rerum omnium fundamentum, ſine ea nulla Poeſis poteſt conſiſtere. Ut idem probat Ode 3 & 4 lib. 4. Quando ars cum Natura conjungitur, eam perficit, corroborat: Natura facilitatem agendi præbet, Ars Methodum, & certam rationem. hinc Cicero: *Ars certior, quam Natura*. Nihil perfecti afferre poteſt altera ſine altera. ſcite Longinus ait, Naturam in quolibet opere non caſu agere, neque legibus adverſari. Natura ſine Arte cæca eſt & audax, navi ſimilis, quæ gubernatore orba evitare pericula perraro poteſt. Ars vero ſine Natura vieta eſt, & ſterilis. &c. Jure igitur Horatius affirmat, alteram alterius ope indigere, & amice conjurare. jure Quintil. *nihil credimus eſſe perfectum, niſi ubi Natura cura juvetur*. Sed ſicut Ars tunc ſolummodo perfecta eſt, cum Naturæ eſt pediſſequa, ita Natura, cum Artem occultat.

V. 410. Ingenium licet felix, rude eſt, ſi arte non poliatur; hoc probatur exemplis.

Digitized by Google

Multa tulit, fecitque puer: ſudavit, & alſit;
Abſtinuit Venere, & vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque Magiſtrum.
Nec ſatis eſt dixiſſe; Ego mira Poemata pango,
Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui,
Et quod non didici, ſane neſcire fateri.
Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas
Aſſentatores jubet ad lucrum ire Poeta
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis

Si

V. 414. Loquitur de iis canticis, quæ canebantur olim in Choris veterum Comœdiarum, ubi Pythaules ſonabat tibia in intervallis, in quibus Choraules ceſſabat canere. Diomedes ait: „ Quando enim Chorus canebat choricis tibiis ideſt choraulicis, artifex concinebat. In canticis autem Pythaules Pythicis reſponſabat „.

V. 416. Si duo vel tria carmina quis edat in lucem, quæ probentur, ſubito gloriatur, ſe in quolibet Poeſeos genere valere poſſe, Comœdias, Tragœdias crepat. Aliqui ſane loci in ſcriptis eniteſcent, & primum admiratione digni cenſebuntur, ſed ſi attentius perlegantur, conſtabit, hominem turpiter ſæpe errare, & exercere artem, quam ignorat.

V. 417. Proverbium ſermone puerorum tritum in quodam ludo. hoc enim uſi ſe invicem ad currendum hortabantur. iſte homo glorioſus ait, egone veteres laudem? ego operam, ſtudiumque inſumem in eorum arte perdiſcenda? alter tunc mihi præcederet, plura, quam ego, ſcriberet, turpe mihi eſt relinqui. Non hoc patiar, volo prætermiſſo ſtudio ſcribere. Magna ſcribendorum verſuum facilitas periculoſa eſt. Qui ingenium arte excolit, opera ſua *nonum premit in annum*.

V. 419. *Cogit*, i. congregat. Laudes, quas tribuunt juveni Poetæ aſſentatores, quibus ille ſua carmina legit, eumdem corrumpunt. Idcirco quærendus eſt Cenſor, qui donis accipiendis abſtineat, qui nihil ſperet, nihil metuat, qui doctrina, & ingenio polleat, & ſcripta legendo perpendat. Viri potentes abundant adulatoribus. Boileau verſibus 13 ferme eadem. *Faites vous des amis* &c.

V. 421. Hic verſus repetitur etiam in Sat. 2. lib. 1, a qua Sanado expungendum credidit.

Si vero eſt, unctum qui recte ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum; mirabor, ſi ſciet inter-
noſcere mendacem, verumque beatus amicum.
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus factos tibi ducere plenum
Lætitiæ: clamabit enim: Pulchre, bene, recte;
Palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem, ſaliet; tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; ſic
Deriſor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Ac torquere mero, quem perpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
 Quintilio ſi quid recitares: corrige, ſodes,
Hoc ajebat, & hoc: melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtra: delere jubebat,

Et

V. 422. Nempe qui poſſit dapibus explere adulatores.

V. 423. *Levi*, i. inconſtanti, perfido, vel eo, qui non eſt ſolvendo, qui bonis fortunæ caret. *ſpondere*, i. ſponſorem eſſe. τὸ *atris litibus* ἐνεργητικῶς & καλῶς dictum. ſenſus eſt: reum eripere lite, per quam morte damnandus erat.

V. 427. Si quem beneficio cumulaveris, aut cumulare voles, noli eo verſuum tuorum judice uti, qui effuſione animi in lætitia abreptus tibi facile aſſentabitur.

V. 429. *Super his*, quæ legis, aut legenda præbes. Bentlejus & Sanado amoto comate explicant pro *præterea*.

V. 431. *Conducti* mercede. v. g. præficæ.

V. 433. *Deriſor*, i. adulator.

V. 434. *Reges*, i. divites, magni viri, & potentes.

V. 437. Indicat fabulam Vulpis, & Corvi, quam narrat Nonius Grammaticus, & Fontenejus elegantiſſimis verſibus expoſuit, & exornavit.

V. 438. Boileau tam vanum Amicum deſcripſit verſibus 9. *un ſage Ami, toujours* &c.

Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum, aut operam inſumebat inanem,
Quin ſine rivali teque, & tua ſolus amares.
Vir bonus ac prudens verſus reprehendat inertes,
Culpabit duros, incomtis adlinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus, non dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptumque ſiniſtre.

Ut

V. 441. Bentlejus & Sanado (ut alios cum atroce Scaligero omittam) hunc verſum ſugillant, rati duas metaphoras in eo contineri, & legunt *formatos*. ſed errant. ferrum, ut lignum tornatur, poſtquam igne mollitum eſt, & incude ad certam formam redactum. legendum igitur *tornatos*, vel *ter natos*. Verſus ter torno commiſſus eſt, & ter male res ceſſit. Sententia rurſus igni committenda, rurſuſque formanda veluti malleo, ita fortaſſe facilius verſibus accommodabitur.

V. 445. Docti Cenſoris eſt addere, demere, mutare, vel res, vel verba in opere litterario, quod expurgandum ſuſcipit.

V. 446. Duri eſſe poſſunt verſus vel quoad verba, vel quoad ſententias.

V. 447. Tranſverſam lineam ducebant Critici, ut ſignificarent, eum locum abradendum eſſe. *ambitioſa*, i. luxuriantia, ſpecie quidem non re ipſa pulchra; affectata, nimio ſtudio exquiſita.

V. 450. Has nugas moleſta incommoda conſequuntur, dum amicus, quem vocas, ſibilis excipietur ab omnibus.

V. 452. *Scabies*, i. contagium. Hic locus uſque ad finem allegoricus eſt, & pulcherrimus. Pingit Horatius malum Poetam, iratis Muſis natum, qui verſus ſcribit, & oſtentat, ſed argui non vult. Si Horatius id tantum inten-

diſ-

Ut mala quem ſcabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntque Poetam,
Qui ſapiunt; agitant pueri, incautique ſequuntur.
Hic dum ſublimes verſus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve: licet, ſuccurrite, longum
Clamat, io Cives: non ſit qui tollere curet;
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui ſcis, an prudens huc ſe dejecerit, atque

Ser-

diſſet animo, ut deſcriberet Poetam amentem, qui ſe reapſe in foveam conjicit, opus hoc præclariſſimum terminaſſet velut quidam tyro in Poetice. Enodemus allegoriam. Poſtquam optimi Cenſoris munia declaravit, ad Poetas quoque ſe convertit, quorum opera cenſoria vergula notanda ſunt. Indocile eorum ingenium, ac pene inſanum perſpiciendum exhibet.

V. 454. Vocares eos freneticos, veluti fanaticos, Bellonæ Sacerdotes, quia oracula ſua pronunciantes multifariam membra contorquebant, vel eos, qui lunatici vocati atra bile afficiebantur, quorum morbus creſcebat, creſcente luna. veteres tribuebant hunc morbum iræ Dianæ.

V. 456. Cenſor prudens timet eorum opera tangere, ſed ſimplices, ſtulti, indocti, *pueri*, *incauti* audiunt eos, & cenſorio munere funguntur, *agitant*.

V. 457. Si igitur hujuſmodi homo, qui ſe Phœbum putat, qui inflatis buccis magna vi effundit verſus, quos credit ſublimes, divagetur, tunc rem propoſitam deſerit, & turpiter errat.

V. 458. Et decidit in decumanos errores, *in puteum*. fruſtra diu clamabit; amici, conſilium date, precor, obteſtor.

V. 460. Noli ei conſilium dare, vel ſi velis, ne ejus ſtultitiæ medearis, ne illi viam evadendi aperias.

V. 462. Fortaſſe ipſe errorem ſuum velut egregium facinus miratur, fortaſſe ſciens, & mente tranquilla, *di ſangue freddo* id fecit,

Servari nolit? dicam: Siculique Poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit. Sit jus, liceatque perire Poetis.
Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit, nec ſi retractus erit, jam
Fiet homo, & ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis adparet, cur verſus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus: Certe furit, ac velut urſus
Objectos caveæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.

Quem

V. 463. Poetarum mens aliquando e ſua ſede dimovetur, teſtis Empedocles, qui ut ſuum nomen immortalitati commendaret, in Ætnam ſe præcipitem dedit.

V. 466. Poteſt igitur Poeta ſtulte agere, famæ jacturam facere.

V. 467. Tu ei injuriam maxime infers, dum ſervare vie ejus famam, locos repurgans, quos ipſe pulchros prædicat. *iratus quis enim invitum ſervare laboret*. Ep. 20. lib. 1. v. 16.

V. 468. Ille reſipiſcere nequit; ſi eum hodie periculo liberas, cras rurſus ſe in idem diſcrimen dejiciet.

V. 469. Famam licet malam, ſibique pernicioſam aucupatur.

V. 470. Quidpiam monſtro ſimile concupiſcit, turbata mente furit. Fortaſſe ingens aliquod crimen patravit, & in ejus pœnam furore ſcribendorum verſuum abripitur ultoribus Diis. (urbane jocatur Horatius. *inceſtus*: veteres dicebant caſtum pro pio, ita inceſtum pro impio.)

V. 472. Furioſus enim ille eſt, vide: ſimilis eſt feroci belluæ, quæ ferrea ſua cavea fracta effugit.

V. 474. Occidit audientes, dum ſuos verſus recitat; non eos legit, ut optimis conſiliis caſtigetur, ſed ut laudibus infletur, cum vero iis mirum quantum intumuerit, cedit tandem, legere ceſſat, audientes dimittit. Nihil luculentius, fortius, aptius, demum pulchrius afferri poteſt, quam

hæc

Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

hæc deſcriptio ſuperbi, ſtulti, furioſi, nimiumque ſe, ſuaque opera depereuntis Poetæ. Multi hæc præcepta in ſuam frugem convertere poſſent. Sed in hoc genere quo magis conſiliis egent, eo minus ſe egere ſentiunt.

MAN-

Digitized by Google

MANTISSA COMMENTARII

AD ARTEM POETICAM.

Acerrima humani ingenii vis univerſa ac ſingula perluſtrando poſt varias temporum periculorumque vices, tandem quid ſit in Natura pulchrum cognovit, illudque diligenter imitando liberales artes excogitavit, coluit, perfecit. Ex bonorum malorumque cognitione Philoſophia & Juriſprudentia, ex perſpicientia ordinis, varietatis, proportionis, convenientiæ in rebus naturalibus Pictura, Sculptura, Muſice, Poeſis, Eloquentia extitere. Non idem tamen perfectionis honos manſit artibus. Ex Græcia, ubi inventæ, auctæ, abſolutæque ſunt, in Italiam conceſſerunt, progreſſu temporis pene interciderunt Barbarorum colluvione. Sed lux ſenſim e tam denſis tenebris emerſit; Ciceronis, Horatii, Virgilii manes excitati, multa eruta monumenta, antiquitas fere omnis juventutis flore renidens prodiit, ingenia exculta, quorum numerum publica admiratio, vim auxit æmulatio; demum ad ſummum perfectionis apicem perventum eſt. Quonam fieri fato dicam, ut modo ab hoc celſitudinis gradu deſcenderint homines, modo ad eum acceſſerint, modo etiam ſuperare connixi ſint? Optimæ veræque laudis ſenſum conſuetudine obtuſum nova & fucata arte acui ac refici poſſe creditum eſt. Hinc in primis Eloquentia, & Poeſis ornamentorum luxu diffluere ad mollitiem, enygmata, acumina, præcipitia, falſi colores, affectatus cultus & effuſio in verbis, ſententiiſque dominari.

Quod igitur pulchrum eſt, rite pernoſcamus, ſi jure placere velimus. Quæ ſunt maximi momenti, noſque propius attingunt, permovent animos. φιλαυτία enim motus omnes intus ciet, ideoque horum motuum atque adeo actionum imagine ac ſimilitudine in ceteris cognita mirabiliter pertrahimur. Præterea cum jucundiſſima ſint, quæ ingenium & animum excolunt, liquet inde, quæ ſunt cujuſque artis liberalis propria, non modo motus in nobis excitare, verum etiam perſpecta haberi, & naturæ noſtræ viribus, & imbecillitati convenire debere. Tandem cum ſingularis niteat in rerum partibus varietas, ac

Digitized by Google

ac diſcrimen, quarum vel ſingularum impulſu multiplici augentur, vel minuuntur motus animorum, hinc ars ſingulas partes exquiſitiſſima vi cumulat, ac gratia, ut novæ prope fiant, ac pulchriores. Ex eo, quod unum, ſimulque varium eſt in re, oritur ſymmetria, ac proportio. Ex rebus ipſis probe cognitis voluptas enaſcitur, motuum actioniſque comes. En pulchrum, quod quærimus. E. III. a verſu 1. uſque ad 23.

Pulchrum recte imitandum eſt. Si decora exemplaria nitide animo ſedeant, penicillum ea diligenter & apte deſcribet. E. III. 40. 41. 309. uſque ad 318. Sed idem ſuo loco & tempore in aliqua rei parte ludet, ut nempe modo interruptus ordo, modo affectata leviter perturbatio, hic neglectus paululum ornatus, illic perexiguum vitium conſulto virtutibus intermiſtum non injucunde appareat.

Pro rerum varietate, & adjunctis variæ etiam regulæ proponendæ ſunt. Symmetria & proportio communes ſunt. Sed diverſa erit diſpoſitio, elocutio, ratio, quæ omnia ex rei cujuſque natura haurienda ſunt. Non uno adſpectu unam eamdemque rem ſenſu percipiunt ſingulæ Nationes, ac ſinguli prope homines. Vario igitur multiplicique operum genere exaggerata eſt undequaque Natura, quarum multas novimus, quamplurimas ignoramus. Tribuas igitur Naturæ, quidquid optime fieri judicaveris. „ id eſt maxime naturale (ait Quintil.) quod fieri na„ tura optime patitur. „ Multa igitur fingere poſſumus, quæ revera non exiſtunt. v. g. conjungere, quæ ſejuncta ſunt, & contra. Sed præceptis ſtandum, ne ſcilicet *ſerpentes avibus geminentur*, *tigribus agni*. E. III. 23. alii alia amant, hic ridicula, ille gravia, hic ſimplicia, ille implexa, &c.

Si de quopiam opere judicare velis, prænoſcas neceſſe eſt, quæ eidem perficiendo neceſſaria fuerint. Facta comparatione opus ipſum inter & ejuſdem rectam informationem ingenio, animoque præconceptam, vitia, virtutesque deprehendes. Ingenium igitur rerum imitandarum delectum, ac virtutem ſectetur, animus vero, quemadmodum imitandæ ſint, ſentiat. E III. 409. &c. patet igitur ex hactenus dictis Poeſim in pulchri imitatione conſiſtere.

Vel oculorum, vel aurium internuncio externa quæque

cognoſcimus. Duplex hæc noſcendarum rerum ratio Poeſim dividit in Dramaticam, qua res aguntur, Actoreſque audiuntur, & in Epicam, qua res referuntur. E. III. 179. Ex his duabus Poeſeos ſpeciebus una conjunctis tertia efficitur, cujus regulæ in utraque continentur. Altera Poeſeos diviſio recenſetur, quæ ex varia rerum omnium natura deſumitur. Omnia ſane ſubjecta ſunt Poeſi, ergo etiam imitationi.

Quatuor generatim de imitatione præcipienda ſunt. 1. utile dulci miſcendum. Cum res eo impenſius nos moveant, quo propius ad nos referuntur, opera, quæ jucunda & utilia erunt, fortius movebunt animos, quam quæ alterutrum ſolummodo efficiunt. Solida & perfecta voluptas ex æquis animi motibus, rationique conſentaneis proficiſcitur. E. III. 333. 334. 343. 344.

2. Ad movendum aptiſſimæ ſunt humanæ actiones. Omnis actio eſt quidam motus, in quo tres gradus dignoſcuntur. Duo videbis in actione qualibet veluti puncta, alterum, unde diſcedas, alterum, quo pervenias, & viam interjectam, quam percurras. Hæ tres partes Poema conſtituunt, nempe rei ſuceptio, ſeu expoſitio, obſtacula, ſucceſſus invitis obſtaculis. vocantur *Prologus*, *Nexus*, *Solutio*.

3. Miranda quæque Actio eligenda eſt in Poemate. Hujuſmodi virtus vel in re ipſa ſita eſt, vel in iis, per quæ finem aſſequimur. Hæc poſtrema ſunt vel magnæ virtutes, vel magna vitia, ingens & ſingularis ingenii vis, quæ inſolita inopinaque via eventa omnia ducit. Si hæc nimis implexa ſint, fatigant animum, ſi nimis ſimplicia, ſatietatem inducunt. Una igitur & varia debet eſſe Actio, adeo ut omnes ejus partes licet diverſæ inter ſe unum quidpiam conflent, quod videatur naturale.

4. In ſocietate humana multa incondite aguntur, ſed in Poeſi, cum pulchrum præoptandum ſit, hæc requiruntur. 1. is Actorum numerus interſit, quo Actio indiget. 2. illis Virtutes aut vitia hæreant. 3. ea fiant, quæ facienda ſunt, non autem, quæ contra. 4. Actor rei ſuſcipiendæ idoneus ſit. 5. ſua quibuſque Actoribus ſint ingenia, diverſa inter ſe, interdum contraria: ut Pater avarus, Filius prodigus.

Poeſis naturæ ſpeculum anteponenda Picturæ. Speculo objectæ res prætereundo ſibi invicem ſuccedunt, ac ſeſe de-

delent. Similis eſt amni, qui per agros ſerpit, & pictas aquis refert imagines rerum, quæ propter oras ſitæ ſunt. Apud Græcos eadem erat ac Muſice cum Pictura conjuncta. Eſt imitatio naturæ per ſtilum armonicum modo fideliter exhibita, modo pulchre ornata iis rebus, quas Natura optimas, ac præſtantiſſimas habet, & ad afficiendam τὴν φαντασίαν, & animi ſenſum aptiſſimas.

De Stilo Poetico.

Poeticus ſtilus ſententias, modos dicendi, figuras, armoniam continet, in quibus eluceſcere debet quædam audacia, & libertas, eæque divitiæ, quæ, ſi in proſa Oratione & familiari reperiantur, modum videantur excedere. Hanc tamen licentiam leges imitationis coercent. Debet percellere animi ſenſus, erigere, permovere; debet expingere, & nobilitare ea, quæ dignitatis videntur expertia. Vide plura in Notis ad E. II. 2, 109 uſque ad 125. Et E. III. 46. uſque ad 72. Exemplo rem declaremus. Nihil ſimplicius eſt, quam dicere, Jambum Spondæo miſtum convenire Tragœdiæ. Sed per Horatium Jambus perſonam agit, &, ut nobilior, tardiorque perveniat ad aures, ex compoſito gravem Spondæum in paternæ hæreditatis jura adſciſcit, ea tamen lege, ut ſibi uni ſecundus & quartus locus reſervetur. E. III. 254. &c.

Stili perſpicuitas in primis neceſſaria eſt. Nemo unus eſt tam amens, qui eo conſilio ſcribere velit, ut non intelligatur. Veruntamen nonnulli, ut videantur ingenio acuto, profundo, arcano præditi, ſermonis perſpicuitatem negligunt, &, cum vereantur omnia proferre, & nimis ſimpliciter agere, omittunt neceſſaria dictu, & obſcuri de induſtria fiunt. Exquiſitæ ſententiæ perſpicue efferendæ ſunt, *ut in animum ratio tanquam ſol in oculos occurrat*, ſicut ait Quintil. E. III. 26.

Elegantia omnes Charites continet. Proxima vitia ſunt languor, & mollities, quæ raro ab iis evitantur, qui eleganter ſcribere ſtudent. E. III. 26.

Humilitas ad omnia genera pertinet, nec nobilitate caret. Utitur ſtilo humili timida innocentia, & Virtus calamitatibus oppreſſa. Eſt ſimplex & verecundus omnis hujuſmodi ſermo, non quærit ornatum, eos dumtaxat flores agnoſcit, qui in agris ſponte naſcuntur, & carpi poſſunt curſim. E. III. 96. 97. 98.

Sublimitas ſermonis nuſquam fere eſt, ait Alambertus; res ipſa talis debet eſſe. Quomodo enim ſtilus rei expers poteſt eſſe ſublimis, vel pluſquam ipſamet eſt?

Ε'νέργεια brevi verborum gyro ſententiam claudit, ut vim addat. ſæpe ipſa conſiſtit in imaginis vi. v. g. *hunc frenis, hunc tu compeſce catena*. E. II. 2, 63.

Vehementia minus pendet a verborum vi, quam ambitu, & impetu Orationis. Æſtu animi nutritur, & animatur. Eſt veluti impulſio, qua afficitur ſtilus per animi ſenſa, quæ conglobatim ſe invicem urgent, ſeque effundere conantur, atque in alienos animos irrumpere. Celeres rerum ſpecies, quæ velut lucis ſpicula erumpunt, verbis expreſſæ Stili vividum impetum, ſin autem leniter & facile ſibi invicem ſuccedant, volubilitatem conſtituunt.

De Armonia.

Armonia eſt quædam duarum, aut plurium rerum inter ſe mirifice convenientium ratio. Ex ordine oritur, artes animat. Tria ſunt ejus genera in Poeſi. Primum, cum Stilus apte rei concinit. Hinc alius eſt in Tragœdia, alius in Epico Poemate, alius in Comœdia &c. Si hac virtute Poema careat, inconcinnum eſt. Eruditæ aures ex auditi unius verſus ingenio genus quoque Poematis, cujus pars vel minima eſt, ut ex ungue leonem, agnoſcunt. Ovidii verſum ex millibus Virgilianis probe ſecernunt. Alterum genus ſitum eſt in ſonorum verborumque cum ſententia congruentia. Quod dulce eſt, aſperis verbis non exprimatur, nec dulcibus quod aſperum, „ aures vel a„ nimus (ait Cicero) aurium nuncio naturalem quan„ dam in ſe continet vocum omnium manſionem, ita„ que & longiora, & breviora indicat, ... mutila „ ſunt quædam quaſi decurtata „. Tertium vero facticium vocari poteſt; licet enim in Natura poſitum ſit, tamen in Poeſi præſertim ſentitur. Ea enim eſt hujus generis conditio, ut præter verborum ſonorumque ſententiæ per ſe convenientium delectum id quoque efficiatur, ut omnes verſus ſyllabæ ſimul ſumtæ ſono, numero, quantitate aliquid amplius exprimant, quod nativam verborum vim augeat. In Natura ſunt motus graves, nobiles, vividi, & rapidi, ſimplices, dulces, difficiles; ita Poeſis multifariam

ſariam eos motus imitatur, & auribus adfert per hoc armoniæ genus, quidquid verbis animi gratia pingit. Hinc Vida:

„ Atque ſono quæcumque canunt, imitantur, & apta
„ Verborum facie, & quæſito Carminis ore..... ,
„ Nam diverſa opus eſt veluti dare verſibus ora,
„ Diverſoſque habitus.

Præcipua laus Horatii in Lyricis carminibus eſt numerorum cognitio & uſus. id optime novit Ovidius, qui eum vocat *numeroſum*. Canentis vox, & lyræ tibiarumque ſonus nunc temporis apte imitabantur verborum vim, & verſuum inceſſum, ſed contra accidit apud nos.

Verſuum Poeſis non in inverſione conſiſtit. ex 30 enim verſibus præſtantibus vix quinque reperirentur poeſeos nomine digni, ſi natura Poetici verſus poſita eſſet in inverſione. inverſio eſt veluti poetici Stili ſal, quo parce adſperſus animus attentior fit. Conſiſtit igitur in imitatione pulchri, quod nexis numero verbis enunciatur. Poeſis Deos, Cives, Paſtores loquentes facit non modo ea, qua loqui ſolent, verum etiam qua debent, ratione. Fortioribus igitur coloribus res imbuat Poeta, quam Natura ſolet, ut perfectæ videantur. Poetici dicentur verſus ex quodam decorum apparatu, ex verborum, figurarum, numerorum elevatione, vi, jucunditate, quæ virtutes in eadem materie pertractanda apud Oratores non inveniuntur. Sunt etiam diverſæ notæ, (*i tuoni*) in diverſis generibus, & in cujuſque generis nota etiam gradus, ex quibus & ſpecierum conflantur, & ſic deinceps. Si igitur hæc nota perfecta ſit, ſuoque generi ac rei apte cohæreat, verſuum poeſim conſtituet.

Alia eſt etiam ligatæ, alia ſolutæ orationis pronunciatio. Alius vocis ſonus Epopœjam, alius Tragœdiam, alius Lyricum Carmen, alius Comœdiam, Satiras, Epiſtolas decet. hinc variæ Stili notæ.

Geſtus etiam diverſi eſſe debent, alii idonei ſcenæ, alii cœtibus honeſtorum hominum, alii concionibus. Geſtus, vocis ſonus, Stilus, res ipſamet in Poeſi neſcio quid præter ſolitum præſeferre debent.

In quolibet ſcriptore prima laus debet eſſe ſententiarum, huic alteram addit Poeſis, ut ſcilicet rei difficultas vivis vocibus vincatur. Utraque laus una conjuncta

maxime Poetam commendat. Vera Poeſis vulgaria, & humilia contemnit, atque adeo jucunda, ſi ſint vilia, e trivio petita, & ſæpius memorata. Poeſis enim eſt imaginandi ars, quæ profecto nulla eſt, cum iterat, ac recoquit, quæ alii finxerunt. Anacreon illius Poeſeos generis fortaſſe fuit procreator, & ita jure placet, ſed fidi Anacreontis aſſeclæ veri Poetæ nequaquam nominandi ſunt. E. III. 131. uſque ad 135.

Juxta Ariſtotelem Poetica elocutio clara eſſe debet, & minime vulgaris; clara ſi vocibus propriis, & uſitatis utatur, minime vulgaris, ſi magnum ſonet. Hinc veteres voces ſuſcitantur, externæ accipiuntur, novæ conduntur, aliæ geminantur, producuntur, contrahuntur; metaphoræ adhibentur, invertuntur dicendi modi, &c. S. I. 4, 43. 44. E. III. 445. &c.

Poeta modo præterita narrat, ut hiſtoricus, modo ut pictor res ob oculos ponit ſpectantium, modo Lyræ ſonis cantus intermiſcet, ſeque totum tradit ſenſuum motibus, quos Lyrica ſpectant, demum fictis rebus relictis artis ſuæ venuſtate res ornat, quas jure quodam ſuo ſibi videtur poſcere ſoluta Oratio. Hinc quatuor Poeſeos genera. Narrans, Dramatica, Lyrica, Didactica.

De Epopœja.

Epopœja eſt rei memorabilis, animumque permoventis per narrationem imitatio. Ex parte rei ſubiectæ eſt vel iter ſuſceptum, vel regni adeptio, vel bellum civile, vel magni momenti officium, vel animi perturbatio. Hujuſmodi res, quæ utile dulci conjungunt, præſtantia Poemata produxerunt.

Clariſſimus Pope comparat Epos cum Horto, in quo præcipua via magna eſt, & longa, & præterea ſemitæ variæ ad ſolatium & voluptatem conſtructæ, quæ omnes ad viam principem diriguntur. Marmontellius hanc definitionem taxat, hac de cauſa, quia nempe illæ ſemitæ in infinitum prope multiplicari poſſent, & inde fieret labyrinthus; quod ſane ſignificaret non unam eſſe Actionem epopœjæ. Eſt igitur Epos veluti ingens flumen nobiliter fluens, cujus curſum producunt obſtantia, & alvei obliqui flexus, ſed tamen deorſum volvi pergit. Dividitur in fluvios minores, inſulas ambit, modo rupes permeat

meat obſtrepens, modo divites urbes lambit, modo rura alluit, torrentes exceptat, & rivulos, &, ſive in Oceanum per unum, ſive per plura oſtia influat, unum idemque flumen ſemper eſt, quod eodem impulſu deorſum fertur. Hujuſce fluminis imago indicat Actionem unam, eamdemque variam in Epopœja; *Marmontel.*

De Actione.

Actio eſt una, cum initium finiſque rei, eventuſque præcipui eſt una eademque cauſa veriſimilis, quæ ad idem efficiendum tendit. Latius patet, quam in Tragœdia quoad locum & tempus. Tanto Epos Tragœdiæ præſtat, quanto Picturæ Poeſis. Tragœdia eſt tanquam tabula picta, Epos vero eſt pictarum tabularum ſeries, quæ tamen loco ſuo, & tempore collocantur, exhibentque locorum delicias, quibus alii varietate mirabiles callide interſeruntur. Verum ſive Epos una actione conſtet, ut Tragœdia, ſive pluribus, ut Romanenſes Fabulæ, ita tamen concludatur, ut nihil amplius deſideretur. Cavendum tamen, ne actio nimis in longum ducatur, ejuſque nexus vix ſolvatur.

Sit integra, nempe initium habeat, progreſſionem, & finem. mancam enim & imperfectam doleas, quam tibi integram promiſſam noveris.

Magnitudo & utilitas actionis ab exempli, quod ipſa continet, magnitudine & utilitate pendet. Exemplum perturbationis animi, quæ humanæ ſocietati pernicioſa eſt: En Iliados argumentum. Exemplum Virtutis propoſiti tenacis, & in rebus adverſis conſtantis: En Odyſſææ. In Vitiorum exemplis fortitudo miſta imbecillitati non modo non imminuit picturæ dignitatem, imo potius magis naturæ conſentaneam facit. Exemplum terrendo nos inſtruit. Quamvis felix virtus eo ſit exemplo, quod hominibus addit animos, non ideo evincitur, infelicem Virtutem exemplo eſſe periculoſo. Calamitates, quæ Virtutem circumveniunt, nihil obſtant, quominus ſapiens eam amet, & colat imperterrito animo. Magnitudo Actionis non pendet a conditione, & genere perſonarum. Filius v. g. humili loco natus, qui virtute ingenti fretus ſuſcipiat vindicandum in libertatem Patrem ſuum a duriſſimo ſervitutis jugo, Heros eſſe poteſt dignus Epico Carmine.

De Epiſodiis.

Epiſodium olim erat quædam narratiuncula, quæ cantibus lyricis interſerebatur, in laudes Deorum dictis. Narrabatur aliquid præclari facinoris materia & argumento alieni. Accidit, ut libentius illæ narratiunculæ audirentur, quam Hymnorum cantus; & ideo Epiſodia in locum rei præcipuæ ſubrepſerunt, econtra Hymni in Epiſodiorum. In Hymnis vero Chori manſit. Vis hujus vocis in Dramate mutata eſt, in aliis Poeſeos generibus ſervatur, ut in Epopœja.

1. Epiſodia ſunt Actionis principis partes, quam circumludere videntur ad recreandum varietate lectorem. 2. non ſunt adſcita actioni, & materiæ Poematis, ſed ſunt ipſa actio, & materies, ut membra ſunt corporis. 3. non ſunt aliunde arceſſita, ſed ex rei principis viſceribus educta, ita tamen, ut non neceſſario actioni devinciantur, ſed ipſa inter ſe obligentur. 4. Non omnes actionis partes Epiſodia ſunt, ſed quæ tantum amplificantur ab adjunctis. Tandem omnium Epiſodiorum colligatio neceſſaria eſt quoad rerum naturam, veriſimilis vero quoad adjuncta. Fabula Epiſodica juxta Ariſtotelem eſt, quæ ſupervacanea rerum adſtructarum acceſſione oneratur, nulloque earumdem inter ſe neceſſario, aut veriſimili nexu fulcitur. Vitioſæ hæ fabulæ vocantur *ſuperabundantes in Epiſodiis*. Id tantum differt juxta Ariſtotelem inter Epiſodium Epicum & Tragicum, quod Epicum latius patet, quam Tragicum.

De Nexu & Solutione Actionis.

Quæ ad Nationem, Religionemque noſtram, & ad humanam Naturam pertinent, dulciſſime nos movent, quæ vero ad obſtacula, vehementiſſime. Spectator ultro comitatur, ut ita dicam, Heroem, ad finem cum eo tendit, cum eo contra obſtacula indignatur, omnem lapidem cum eo movet, ut illa vincat, aut evitet, ſin fruſtra; attente eum intuetur, clanculum adjuvat votis, exitum ſuſpirat, ſive cum eo triumphaturus, ſive caſurus.

Nexus ſive nodus Actionis eſt plurium eventuum, aut adjun-

adjunctorum congeries, quæ rei peragendæ accidunt, negotiumque iis faceſſunt, qui rem propoſitam expedire ſtatuerunt. Technæ quorumdam Actorum, vel plures fortuiti eventus, qui ægre ſolvi poſſunt, in cauſa ſunt, cur actio ſpectantium animos vehementer moveat. Rei enim difficultas maxima irritat magnopere animi motus, magnaſque virtutes excitat. In Epico Poemate, in Tragœdia, & Comœdia duo inter ſe diverſa, atque adeo contraria dignoſcuntur, quorum alterum ſibi proponit Heros, alterum vero ii, qui Herois menti obſiſtunt. Contrariæ cauſæ contraria efficiunt. Hinc conatus Herois ad rem propoſitam perficiendam, illinc eorum, qui adverſantur. Sicut illæ cauſæ reſque propoſitæ ſunt actionis initium, ita contraria conamina ſunt ejuſdem progreſſio, nodumque componunt, qui major eſt Poematis pars. Hic nodus durat, donec lector vel ſpectator animi pendet, ignoratque futurum certaminis eventum. Solutio nodi initium habet, cum rei difficultas minimam partem demi incipit. Periculo, obſtaculiſque ceſſantibus aut redacto ad extrema infortunio reſolvitur Actio. Ceſſante Achillis ira fit Iliados reſolutio.

In Poemate Epico ſunt alii Nexus Nexui principi ſubjecti. Hic unus eſſe debet, illi plures erunt, prout res, & Veriſimile poſtulaverint. in Æneide ira Junonis eſt primi generis, hujus iræ effecta, nempe tempeſtas, Didonis amor, Turni virtus &c. ſunt alterius. Derivantur Nexus vel ex eo, quod Agens rem ignorat, vel quod infirmis viribus eſt: v. g. Iphigenia mactatura eſt Oreſtem Fratrem, adhuc ſibi ignotum, cognito Fratre res ſolvitur. Nexus vero, qui vel a vi oppoſita, vel ab Agentis imbecillitate naſcuntur, alterius vis ſuperioris acceſſione enodantur. Verbo, prima reſolvendæ rei ratio fit, ut dicunt, per *agnitionem*, altera per περιπετίαν, ideſt *Fortunæ mutationem*. Jucundiſſima eſt rei enodatio, cum alicujus Virtutis ſive mentis, ſive animi niſu imbecillitas quoque ipſa victrix remanet. Quo implicatior, eo perfectior Nexus erit, ſi modus tamen adſit. Debet enim eſſe naturalis, veroque propior; ſi adjuncta nimis implexa ſint, & vim patiantur, Actionem obſcuram, & imcompoſitam reddunt, atque adeo obcæcant. Sed præſtat Solutionem inſitam eſſe penitus eidem Actioni, neque a cauſa externa peti, & per improviſum eventum fieri, non per

vo-

voluntatis mutationem. Ex victis obſtaculis oritur gaudium, quod eſt Epici Poematis finis.

De Epici Poematis ſtructura.

Tria requiruntur in conficiendo Poemate Epico: Rei ſubjectæ expoſitio, naturales notæ, & ſtilus.

In rei ſubjectæ expoſitione tria conſiderantur. 1. initium, quod debet eſſe nobile, & ſimplex. E. III. 140. 2. Muſæ Numinisque invocatio, quæ magnopere neceſſaria non eſt, niſi forte quid arcani aperiendum ſit hominibus. 3. Status perſonarum eo temporis momento, quo Poema, Actioniſque nexus incipit. E. III. 42. &c. Si Poeta ſequatur eventuum ordinem, ſimplex erit fabula, ſin vero Actionem interrumpat, & ad præterita ſe convertat, vocabitur implexa.

Ariſtoteles ait, Epopœjam eſſe Tragœdiam narrantem. In Tragœdia & in Æpopœja omnia properant ad nexum. Epopœja eſt Tragœdia, quæ conſtat indefinita ſcenarum multitudine, quarum intervalla Poeta occupat. Multi extant Dramatici loci in Epopœja.

Quod eſt maxime admirabile in Epico Poemate.

Plerumque admiratio vulgi oritur ex rerum ignoratione. v. g. Aurora borealis exiſtimata eſt olim Deorum conventus in Olympo. Rerum etiam perfectio in natura prodigii inſtar eſt, & quo magis compoſitæ res ſunt, eo monſtro propiores. Quidquid pulcherrimum eſt tam in Phyſicis, quam in moralibus rebus, portento ſimile eſt. Præterea exaggeratæ in immenſum vires, & facultates admirabiles ſunt. v. g. Heroes vaſto corpore, bruta animalia prope infinita magnitudine, arbores celſiſſimæ, quarum radices inferos, culmina cœlum tangant; Subita vis Fati a rerum ordine longe remota, &c. Quod eſt mirabile ſupra naturæ vires poſitum, merito cenſeri poteſt modo imago ſimplex veritatis, modo veritatis ſymbolum. In primo caſu eſt mera rerum fictio, in altero vero allegoria. Philoſophia Naturam omnem contemplata rerum admirabilium mater extitit. Ipſa meditando Deum agnovit, ejusque virtutes immenſas, agnovit cœleſtes, inferosque ſpiritus &c.

Perſonæ quædam audaces, eædemque veriſimiles, quæ communium notionum fines exſuperant, magnum pondus ad-

addunt Epopœjæ, & in ſui admirationem nos trahunt. Hujuſmodi ſunt Dii, qui interſunt Poematibus Homeri & Virgilii, nec non metaphyſicæ illæ Perſonæ in recentiorum Poetarum Poematibus, v. g. Diſcordia, Amor, Superſtitio, Mors, quæ vocantur etiam *Machinæ*. In hoc genere caute & ſolerter agendum. Quod enim admirabile Græcis, Romaniſque fuit, nobis prope ridiculum videtur, ex eo quod Religione longe diverſa tenemur.

Homines amant, quod ipſis videtur terribile; ut pueri, qui avidiſſime audiunt aniles Fabellas de ſagis, licet terrore afficiantur. Ut igitur voluptas inde effluat, Poeta apte eligat, adhibeatque rerum notiones, opinioneſque ætati, & nationi ſuæ accommodatas, eaque confingat, quæ percellere poſſint animos, obſtupefacere, & delectare. Ex quo colligitur, veriſimilitudinis fines tranſiliendos non eſſe. Si recte de hujus generis dignitate judicare velimus, repetamus tantiſper memoria ea tempora, quibus Poetæ veteres ediderunt illa admirabilia; & inſuper notiones rerum; mores, ſententias ſuſcipiamus eorum populorum, quorum gratia ipſi ſcripſerunt; reputemus animo, id ætatis homines Diis templa, ſtatuas, aras poſuiſſe, cultumque Deorum per plurimas provincias propagatum fuiſſe. Hinc Homerus, Virgiliuſque aliique nullam mentionem fecere Ori, Iſidis, Oſiridis, quos Deos nec Græcia, nec Italia colebat. Quæcumque igitur Dii agunt, nobiliter in Homeri, Virgiliique Poemate, ſub hoc adſpectu conſiderata, veri nominis admirabilia ſemper erunt, ſecus, omnia falſa, abſurda, evanida. Quid præterea magis ridiculum, quam quod Dii, Machinæque ita agant, ut Heros nihil magni ex ſe patrare videatur, & divinæ vires adhibeantur, cum ſatis ſuppetere queant humanæ? E. III. 191. Cæterum noſtra hac ætate Deorum interventus, machinarum uſus inutilis eſt. Præſtat ſane omnibus Poeſeos viribus contendere, ut homines Diis proximi fiant, qnam ut hominibus Dii. „ Humana ad Deos „ tranſtulerunt (ait Cicero de Philoſophis mythologi- „ cis) divina mallem ad nos. „ Quamquam ſi Homerus Ciceronis votum reapſe præverſus eſſet, Deoſque fallere, & falli, & pati neſcios finxiſſet, abſurda & ἀδύνατα jactaſſet. Tunc enim homines devinciebantur naturis illis cœleſtibus eo vinculo, quod eas ſibi obligabat; ſimileſque propemodum efficiebat. Neceſſe erat igitur, ut

Ne-

Neptunus irritaretur, Venus lugeret, &c. Dogma etiam æternorum præmiorum, ac ſuppliciorum in altera vita fuit a mundi prope incunabulis fons rerum admirabilium, & origo. Perſonarum mirabilium, Machinarumque vicem ſubeant Virtutes, & animi validiſſimæ perturbationes non allegoricam perſonam agendo (allegoria enim phyſicas res animat, morales refrigerat) ſed viam ſuam omnem exerendo, quemadmodum videre eſt in Tragœdia. Quare in Epopœja homines hodie agant, ut in Tragœdia. Quamquam nonnulla ſunt admirabilia, quæ apud omnes fere nationes, omnibuſque temporibus accipiuntur. v. g. Si Avorum, Parentum, Principum virorum, Amicorum, vel inimicorum Manes nebulis, nimibiſque involuti, tempeſtatibus, ventis, fulguribus, tonitrubus circumdati modo terrorem incutiant, modo prædicant, quæ neceſſaria ſunt ſcitu, modo conſilia dent, ut patet in Poematis Oſſianis, quæ eleganter, & fideliter in verſus Italos tranſtulit celeber Cæſarotus; ſi etiam Angeli, & Dæmones ſimilia vel majora perpetrent, ut in Milthono. Illud profecto admiratione omni digniſſimum, quod in Luſiade reperitur. Cum Claſſis Luſitana duce Vaſco-de-Gama jam præteritura eſſet frontem Africæ, (*capo di buona ſperanza*) ecce repente præ oculis habet formidoloſiſſimum immani corpore hominem, ſive Deum, qui ex imo mari emergit, & caput condit inter nubila, qui ingenti procellarum, nimborum, ventorum, tonitruum vi circumfunditur, qui toto Oceani dorſo brachia protendit. Terribile hoc Monſtrum cuſtos illius maris, cujus undas nemo eatenus ſulcaverat, minas Claſſi intentat, multa de Luſitanorum audacia conqueritur, Oceani imperium affectantium, prænunciat omnes calamitates, quas ipſi in re ſuſcipienda ſubituri ſunt, &c. Quid præſtantius ac divinius excogitari poterat hac allegoriæ forma, qua tanta rei difficultas repræſentatur? Hoc certe magnum eſt & admirabile in omnibus regionibus, ac temporibus. Allegoricæ quæque rerum fictiones litteratis viris legentibus placebunt, ſi a natura petantur, & ſint vero propiores. Non omnia tamen, quæ mentis vi a rebus abſtrahuntur, huic metamorphoſi apta ſunt. Peccatum v. g. ineptam Perſonam agit inter Mortem & Satanam in Epiſodio apud Milthonum. Male cohærent morales, metaphyſicæque perſonæ

iis,

iis, quæ reapſe exiſtunt, corporisque vim habent. De duobus enim alterum dicendum, aut allegoria dominatur, &, quæ corporea ſunt tanquam imaginationis partus accipi, vult, aut Naturam ſuam mentitur, & fit ipſa neſcio quid inconditi corporis, quod inanibus ſimul, corporeiſque perſonis conſtet, quæ ſe invicem deſtruunt. Ut quædam fabulæ, ſic quædam animi perturbationes ſubeſſe allegoriæ nequeunt.

De Actoribus, eorumque naturalibus notis, & moribus.

In Epopœja Actio eſt vel unius viri, vel multorum, vel etiam totius populi. Sed Actio unius, cujus ſors cum totius populi conjuncta eſt, magis commovet Lectorem, quam plurimorum. Sic Achilles, cujus ira Græcorum fortunam habet in poteſtate, magis nos movet, quam Trojanorum ſedes per Æneam in Italia poſita.

Sua cuique Actori eſt naturalis nota, ſive color (*carattere*) & mores. Illa ad agendum impellit hominem, certa quadam ratione, hi vero acquiruntur repetitis actibus, ſive natura, ſive vitæ inſtitutio, ſive exemplum, ſive Ratio ita tulerit. Mores induuntur & exuuntur per contrarios habitus. Naturalis vero nota non aliunde ſumitur, nec deletur, poteſt tamen temperari, tegi, ſimulari. Suus eſt cuique ætati color, ſcilicet pueritiæ, juventuti, virilitati, ſenectuti, ſuus conditioni, nempe Regi, Magiſtratui, Duci, &c. ſuus quibuſque familiis, ideſt probitas, ſuperbia, magnanimitas, avaritia &c. Hæc duo fere coeunt, fere primum eſt alterius cauſa. Ambo voluntatem ad agendum adigunt, voluntas adacta externos actus elicit. Ambo cognoſci queunt per actus & ſermones. Erunt igitur mores in Poemate, cum ſermo loquentis, aut actio agentis aperte & liquido demonſtrat naturalem notam. E. III. a verſu *99* uſque ad 124. & a 156 uſque ad 178.

Mores, ut ait Ariſtoteles, debent eſſe boni, convenientes, ſimiles, æquales. *τὸ boni* non idem eſt ac *veri*, vel *utiles*, vel *ſimiles*, ſed eodem ſenſu accipiendum eſt, quo in hoc philoſophi ipſius exemplo: *Femina poteſt eſſe bona, ſervus poteſt eſſe bonus, licet feminæ ſint communiter potius malæ, quam bonæ, & ſervi ſint mali.*

Ergo

Ergo *τὸ boni* ſignificat probitatem illam, quæ non repugnat imbecillitati humanæ, & erroribus.

1. Naturales notæ Heroum per hiſtoriam, aut fabulam, aut famam agnoſcuntur. Si vero Herois ingenium per hæc noſci nequeat, totumque omnino confictum ſit, tunc in ſcenis primis a Poeta ſignificetur. 2. Mores erunt ſemper iidem, ne ſuprema pars imaginis ſit caput pulchrum mulieris, extrema vero piſcis informis cauda. E. III. initio. 3. Varii erunt in variis perſonis, ut comparatione inſtituta magis eluceant. Varii aut in eadem ſpecie, aut dumtaxat graduum diſcrimine. Achilles, Ajax, Diomedes, Neſtor, ſunt omnes ſtrenui, ſed alii magis alii minus. Præterea ſingulis ineſt aliquid proprii. Ajax durior, Neſtor fortior, Achilles violentior &c. Mores ſunt etiam alii aliis contrarii, ut Ajax animoſus, Therſites ignavus. Heroum ingenia ex actis appareant, non enuncientur a Poeta. E. III. a verſu 119 uſque ad 124.

Animadvertendum eſt, ſimplicem naturalem notam homini diu adhærere minime poſſe. Ejus enim ingenium Saronis judicio mirabiliter diverſum eſt, & fluctuans. Cum Epici Poematis Actio latius pateat, quam Tragici, hinc fit, ut in Epopœja animi perturbationes immutentur, & actionis vis interdum occultetur. Itaque quamvis Actoribus, Perſoniſque Epicis hærere debeat certus color, tamen ea ſæpe accidunt, quæ ita turbant extimas ejus partes, ut germanas, intimaſque introſpici minime patiantur. Verum hæ coloris immutationes non ſine aliqua propenſionis, ſenſus, conſiliique cauſa fiunt. Magna artis vi indiget, & immenſa, exquiſitiſſimaque Naturæ cognitione Poeta, ut hujuſmodi machinis fidem conciliet.

Poeta res petit vel ex hiſtoria, vel ex fabulis, vel ex iis, quæ fieri poſſunt, ſed plerumque ex hiſtoria præteritorum temporum; utque jure quodam ſuo fingendi & creandi res utatur, mutat eas aliquam partem, ducetamen Exemplare. Ita videtur ipſe nova in lucem emittere, ſed revera ejus arte decipimur. Putamus enim ea diſcere, quæ probe ſciebamus. 1. Quoddam veluti σύστημα ſibi proponit Poeta. 2. Materiem quærit ad illud complendum. 3. Scite materiem ſibi a Natura datam redigit ad artificiale σύστημα, quod ſibi animo finxerat. E. III. 240.

Narratio Epica initium ſumit prope ab Actionis fine, cætera ad opportunum tempus differt. E. III. 42.

Ut ſummatim complectar omnia. Epici Poematis Actio ſive ſit ſimplex, ſive implexa, ſive menſis, ſive anni unius intervallo canatur, ſive ſcena ſuo loco ſtet immota, ſive Heros maria, ſive terras pererret, ſive ſit felix, ſive infelix, furioſus, aut pius; ſive res agatur in terris, ſive in cœlis, ſive apud inferos, haud vehementer hoc intereſt, ſemper veri nominis Poema Epicum erit, omnium nationum conſenſu. Acerrimo Poetæ nitatur judicio, & imaginandi vi exornetur. Quod enim recte ſapit, nationes omnes proxime attingit. Omnes fatebuntur, Actionem unam, & ſimplicem, quæ facile & gradatim ſolvitur, quæ legentis animum minime fatigat, multo ſibi jucundiorem fore, quam quæ omnium prodigiorum congerie gravatur. Hæc Actio bene conſtituta variis Epiſodiis ornatur tanquam membris robuſti, atque apti ex ſe corporis. Quo major erit actio, eo delectabilior. Movere debet animos, qui moveri ſuapte natura amant. Erit integra. Hæ ſunt Naturæ leges. Verum machinæ admirabiles, cœleſtis Numinis interventus, Epiſodiorum materies, omnia denique quæ ex propria cujuſque opinione pendent, controverſa ſunt, & generali regula carent. Admiremur ea, quæ generatim pulchra & dicuntur, & ſunt apud veteres poetas.

De Stilo.

Tribus modis res narrantur: vel Actor loquitur, vel Poeta refert, quid Actor egerit; vel profert Actoris ſermones, perinde ac ſi forent alieni. Stilus debet eſſe perſonis conſentaneus. Numen alloquitur homines? hominum ſermone utetur, ſed magnificentius. Poeta vetera verba ad uſum vocabit, metaphoras inveniet, exquiſitæ eruditionis condimenta raptim miſcebit, loquentis actiones pinget, cauſas, & effecta in apricum proferet, eleganter & vivide res deſcribet, nimis ſubtilia evitabit, parva magnitudine, vilia nobilitate donabit, rerum deſcriptiones, & comparationes ſplendidas adhibebit.

Rei deſcriptio differt a tabula picta. Hæc certo loco ac definito conſtat, illa poteſt eſſe tabularum pictarum velut ſeries, & imaginum. Imago ipſa aliquandu pro pictu-

pictura eſt'. Deſcriptio & pictura ſunt ſæpe rei objectæ veluti ſpeculum, Imago autem non eſt hujuſmodi. Oratio, quæ perſpicue docet rei naturam, & proprietates, dicitur definitio; Quæ vero efficit, ut res ſub ſenſus cadant, dicitur imago; Quæ tandem adjuncta fere omnia perſequitur, dicitur deſcriptio, perſpicua rei expoſitio.

Comparatio erit egregia, ſi rem propoſitam prorſus exhibeat animis. Non eſt neceſſe, ut imago omnem rei faciem repræſentet, ſed dumtaxat eo, quo vult, adſpectu, eam expingat ad vivum. Comparatio rem objectam debet quodammodo circumſcribere. Iis finibus continetur, quibus τὰ πρός τι. Verum cum animus in re contemplanda defigitur, res alias circumſtantes minime reſpicit, & quo celerius movetur, eo magis impatiens eſt rerum obſtantium. Tandem quo magis æſtuat animi ſenſus, eo magis imperat τῇ φαντασίᾳ, & prohibet, quominus ipſa vagetur. Hinc narratio tranquilla crebras comparationes uſurpat, eaſdemque exactas, & a remoto fonte petitas. Sed quo magis Oratio incaleſcit, & animatur, eo parcius illis utitur. In perturbationum incendio comparatio quam breviſſima ſit, & rapida, uno aut altero verbo conſtet.

De Epicis Poetis.

Homerus, qui vixit 800 annis ante æram Chriſtianam Epicorum Poetarum facile Princeps eſt. (V. Ind. *Homerus*.)

Virgilius (V. Ind.) confertur a nonnullis cum Homero, licet non paucis teneatur vitiis. Divinus eſt Homerus in Poematis ſui inventione, diſpoſitione, & elocutione, ſed multa minuta perſequitur, multa in longum ducit, quæ videntur nimis ſimplicia, nimis abjecta, non ſcite delecta. Virgilius hæc vitia evitavit, ideoque per hanc ſolertiam alia majora obnupſit. *magis* (ut ait Cicero) *offendit nimium*, *quam parum*.

De Poemate Cyclio.

Tria ſunt poematis Cyclii genera. 1. cum Poeta Poema orditur a certo tempore remotiſſimo uſque ad certam diem. v. g. a Mundi primordiis uſque ad reditum Ulyſſis

Ulyſſis in Patriam , omneſque eventus ita connectit , ut facile a fine ad initium aſcendere poſſis. Hoc modo Ovidius metamorphoſes texuit. Hoc Poema dicitur *perpetuum Carmen* . 2. Cum Poeta tractandam ſumit Actionem unam, eamque certo ambitu concludit . Talia ſunt Homeri Virgiliique Poemata . 3. cum hiſtoriam quamdam ab ejus initio ad finem uſque enarrat . Ut Auctor Theſeidis, de qua loquitur Ariſtoteles. In eo enim Poemate congeſſerat ille , quidquid heroi ſuo acciderat ; & ut Antimachus, qui Thebaidem condiderat , quam cycliam veteres nominarunt; & ut ille, de quo verba fecit Horatius, ubi dixit , *nec ſic incipies* . E. III. 136. Hic poſtremus non ſolum Trojanum bellum uſque ab initio cecinit , verum etiam vitam omnem & hiſtoriam Priami conſcripſit. Duos alios indicat Horatius Poetas Cyclios, quorum alter cecinit reditum Diomedis in patriam capta Troja a morte Meleagri , alter vero Iliadem confecerat exorſus ab ortu Helenæ narrationem . Hujuſmodi eſt etiam Achilleis Statii . Hoc tertium Poematis Cyclii genus jure improbatur ab Ariſtotele . E. III. 146.

De Dramate.

Drama a δράειν, δρᾷν ſignificat agere, quia in hoc Poeſeos genere non narratur Actio , ſed per Actores repræſentatur. Dii, Heroes , Paſtores ſpectaculo ſunt. Subit judicium oculorum , quod magis verendum, quam aurium, ideoque hic narratur , quod foret parum veriſimile, ſi ageretur, v. g. Hippolytus diſcerptus ab equis ſuis. Quia ſi hoc eventum ſpectandum præberetur , multa requirenda fuiſſent, quæ artem proderent , & miſerationem in riſum verterent. E. III. a verſu 182 uſque ad 188.

Præcipuæ Dramatis partes erant apud Veteres *Protaſis*, *Epiſtaſis*, *Cataſtaſis*, & *Catraſtrophe*, partes vero adſcitæ *Argumentum*, ſive *Compendium*, *Chorus*; *Mimi*, *Satyri*, aut *Atellanæ*, & *Epilogus*, quo Actor quidam, quid frugis percipiendum fuerit ex fabula, Spectatores docebat, aut alia monebat nomine Poetæ . Recentiores dividunt Drama in tres partes neceſſarias, nempe in rei propoſitæ expoſitionem, i. *Protaſin*; *in rerum Nexum*, ſive *Nodum*, i. *Epiſtaſin* , & *Cataſtaſin* ; (quæ duo reapſe non diſcrepant) & in *Solutionem*, i. *Cataſtrophen*.

Actio uno die, eodemque loco perficienda eſt. Si locus mutetur, ubi fiat Actio, dum ibidem ſpectator remanſit; Si annum duret, menſem, plures dies, dum ſentio, me per paucas horas illam vidiſſe omnino abſolutam in Scena, tunc agnoſco artem, nullam adhibeo illi fidem, ideoque nullo modo moveor. Actio vel tota vera eſt, vel hiſtorica, vel reapſe vera, ſed ficta quoad adjuncta; aut mutata, quoad rem ipſam & adjuncta ſimul, ita ut nomina tantum hiſtorica retineantur; aut tandem tota nova eſt, & commentitia quoad res, nomina, & adjuncta, ut in Comœdiis fere omnibus.

In factis ab hiſtoria petitis aliqua finguntur, vel ut rei addatur, quod abeſt, vel ut dematur, quod ſuperat, vel ut commutentur partes. Finguntur ea, quæ fieri potuerunt, vel debuerunt, ſpectatis temporibus, perſonis, locis, ſpectato *Veriſimili genere*, & *neceſſario* juxta Ariſtotelem. Nihil obſtet, quin res facta fuerit hoc vel illo modo. Verumtamen cauſa aperiatur, cur potius facta, quam infecta fuerit, et hoc potius, quam illo modo. Hinc dicimus: Veriſimile eſt hoc fieri potuiſſe, neceſſarium eſt, illud factum fuiſſe. Quatuor igitur gradibus aſcenditur ad Verum Poeticum. Duo primi oſtendunt, rem poſſe fieri, cæteri, eandem exiſtere. Summus gradus tres inferiores continet, tertius duos reliquos, ſecundus infimum: infimus eſt omnium minimus, parum valet in Dramate, nonnihil in Epopœja. Opus eſt, ſummum adhiberi in quibuſdam locis, tertium ſummo proximum ubique. Datur *Veriſimile ſolitum*, & *inſolitum*. Ac primum quidem, cum res fit ſæpe, vel ſaltem ſæpius, quam quæ ſibi contraria; alterum vero, cum rarius ipſa fit, quaſi quæ ſibi oppoſita, ita tamen, ut non videatur prodigio ſimilis. v. g. Vir ſtrenuus vincitur ab imbelli. E. III. 338. 339. 340.

Sunt etiam quædam neceſſaria ſpectata Actione vel ut naturali, vel ut artificiali. Neceſſariæ ſunt etiam rerum colligationes, & conſecutiones, v. g. cum rerum altera alteram parit, aut neceſſario conſequitur. Hoc poſtulat Actio ut naturalis. Quoad artificialem vero, Poeta ea adhibere debet, quibus non eget quidem per ſe Actio naturalis, ſed ars, ut leges ſuas teneat. v. g. ut rem claudat unius diei ſpatio, & loci, & quinque Actuum, indiget artis adminiculis. E. III. 129. 189. 190.

Quod

Quod eſt unum in Dramate.

In Dramate una debet eſſe Actio, unus dies, unus locus. Una Actio, quum quid unum proponitur agendum, ad quod omnia tanquam lineæ ad centrum referantur. E. III. initium, & notas.

Drama dividitur in Actus, Actus in ſcenas. Actus eſt Actio, vel Actionis principis neceſſaria pars. Cum actiones omnes eadem veluti linea ducuntur, & altera alteram proxime conſequitur, donec omnes ad finem perducantur, tunc Actio ſimplex eſt, & caret Epiſodiis. Sin vero iiſdem aliæ intertexantur, quæ leviter colligentur invicem cum Actione præcipua, vocantur Epiſodia. Non ſunt tamen veræ partes, ſed tantum velut comites ad communem metam progrediuntur. Sunt magis, minuſve *Epiſodicæ*, prout ocyus, aut ſerius Actioni conjunguntur; vitioſæ ſunt, ſi in quarto actu ſeſe exerant. Primus Actus appellatur Protaſis, quia rei propoſitæ expoſitionem continet, aperte rem declarat, de qua agitur. Alter cognoſcendos præbet Actores, eorumque ingenia, ſaltem, aliqua ex parte. Tertius eventuum nexum inchoat.

Interdum quidam Actor Prologum agit ante Dramatis Actionem, interdum alteri Actori tanquam facta ignoranti narrat ea, quæ potiſſimum ad Actionem faciunt, & ita Spectatorem rem docet. Sed hæc fere obſoleverunt. Nunc in more poſitum eſt, ut Actio ipſa per ſe palam fiat, locum ſignificet, ubi fit, horam, qua incipit, εἰσηγ. omne patefaciat, Actoribus convenientia tribuat.

In tertio & quarto Actu, nempe in *Cataſtaſi* eventa magis magiſque complicari debent, & hinc augeri in ſpectatore animi perturbatio. Sed quoniam continuo curſu creſcere nequit unus idemque animi motus, quin detur aliquis reſpirandi locus, ideo opus eſt aliqua lætitiæ, vel ſpei momenta interjici, quæ animum pauliſper erigant, *ut caſu graviore ruat.*

Quintus Actus vividiſſimus omnium eſſe debet. Spectator enim intendendo animum defeſſus eſt. Ideo omnia inſtructa & parata ſint ad *rei ſolutionem*, quæ poſtrema ſcena complenda eſt. In hoc omnium Perſonarum ſors deciditur. Verum hæc diviſio Dramatis in quinque Actus pro lubitu inventa eſt. Præſtaret confici Drama 3 vel 4 vel

 6 quo-

6 quoque actibus, quam inutiles Actus texere, vel nimis longos, Epiſodiiſque redundantes.

Scena eſt pars Actus, conſtituitur ingreſſu, vel egreſſu alicujus Actoris. Suum cuique Actui eſt initium, medium, & finis. Harum partium vicem ſubeunt diverſi Actores, quorum alii rem imperant, alii hortantur, alii executioni mandant, in pluribus ſcenis, quæ aliqua velut cognatione viciſſim obligantur, ita ut cauſa patefiat, cur hic prodeat, ille diſcedat. Ridiculum eſt cernere, Actorem diſcedere, quia nihil ſibi ſupereſt dicendum, aut prodire, ne ſcena vacua relinquatur, multoſque aliquando Actores ſcena abire, ut aliis locum concedant, qui cum præcedentibus una ſtare non debent. Mutatur ſcena vel ob Actorum præſentiam, cum nempe plures Actores jam jam diſceſſuri, vel venturi aliquandiu morantur; vel ob ſermonem, cum inter ſe colloquuntur; vel ob conſpectum mutuum, cum diſceſſurus Actor videt alterum obvium, & viciſſim; vel ob ſtrepitum intus editum, cum vix profectis ſcena Actoribus alterius adventantis ſtrepitus auditur.

Uno die, videlicet 24 horarum ſpatio abſolvendum eſt Drama. Omnino Actio tamdiu durare deberet, quamdiu in ſcena agitur, ideſt tres circiter horas. Sed quia nulla fere Actio reperiri poteſt, quæ tam anguſtis terminis circumſcribi queat, idcirco regula remiſſiore, & latiore utimur. Quinque Actibus quatuor interponuntur otii intervalla, quorum uno noctem integram ſolerter moras nectit Poeta; quod vero tempus Actoribus ſupereſt, reliquis intervallis terendum datur, ita ut ſinguli Actus unum idemque tempus, quod revera inſumitur, poſcere videantur.

De ſtilo Dramatis.

Omnis ſtatus loquentis erit ſtili norma. Rex, Mulier, Mercator, diverſum loquendi genus uſurpent. Præterea hujuſmodi homines aut lætitia, aut dolore, aut ſpe, aut timore feruntur. Hic duplex ſtatus duplici colore imbuet ſtilum. Actor declamatoriam dicendi rationem evitet, ne ſententias aliunde ſumat, ne in Oratorias figuras ſeſe effundat. E. III. a v. 46 uſque ad 173.

De Dialogis.

Viginti quoque Actores in Dramate agere poſſunt, ſed ſatis eſt tres tantum in ſcena loqui. alii erunt Perſonæ mutæ. *Monologus* eſt, cum unus Actor loquitur; cum vero plures inter ſe ſermones ſerunt, Dialogus. Extat Dialogus Epicus, Dramaticus, & Philoſophicus. Epicus & Dramaticus Actionem ſibi proponunt diſcutiendam, Philoſophicus autem rem veram. Aliqua cauſa ſubeſſe debet, cur Perſona una ſecum verba faciat. Monologus brevis ſit, eſt enim præter Naturam. moleſtus eſt & parum veriſimilis, ſi longus. Longiuſculus erit, ſi Actor magnis animi perturbationibus divexabitur. Dialogus inter duos eſt aliquantum μονότονος, inter tres jucundus, inter quatuor confuſus, obſtrepens. Duo interlocutores verba faciunt, ſuam quiſque ſententiam in medium affert, tertius intereſt iiſdem conciliandis. Quid afferre poteſt quartus? nihil ſane, quod dici non poſſit a tribus cæteris. fruſtra igitur in ſcenam adducitur quartus. vel ſi inducatur unum aut alterum verbum proferat, approbandi cauſa ea, quæ dicta fuere, nec longos ſermones nitetur texere. In Dialogo, ſi Actor in res graviſſimas operam curamque omnem impenſurus elegantibus narratiunculis, vel venuſtis rerum deſcriptionibus ludat, ſimilis eſt Matri, quæ amiſſum natum per agros quærens gaudet floſculos carpere. Interdum res eo adducitur, ut Actor Dialogi curſum neceſſario interrumpat ſeu timore, ſeu diſſimulatione captus. Sed tunc Dialogus ad finem ſuum vergit. Loci habitus conveniat Actorum dignitati; Scenarum ſtructura, & ornatus referat Actionis ingenium, & Actorum. De Theatro Romano vide Val. Max. lib. 2. c. 4. & Nieupoort ſect. 4. c. 5. Actores geſtum verbis accommodent, dum eadem dicunt, eum mutent; demum omnia animent. E. III. 192.

De Tragœdia.

Tragœdia eſt torrens, qui evertit, ac diſrumpit obſtantia quæque. Definitur ab Ariſtotele repræſentatio Actionis, cujus finis eſt miſeratio, & terror. Superat Epopœjam rapiditate atque æſtu actionis. Duplex eſt. altera

ra quidem veri nominis Tragœdia dicitur, & Heroica, quia Actionem heroicam complectitur, V. g. Regni adeptionem, vel quia Heroes agunt, V. g. Reges, Principes viri. Hic Heroes agunt humano more, remota quidem admiratione. Vires & amplitudo, & nomen Regum augent terrorem, & pietatem. Altera vero ſpectaculum muſicum dicitur (*L' Opera*). Admirabilis eſt, quia Dii cum omni poteſtatis ſuæ vi & apparatu agunt. hæ duæ ſpecies differunt conditione Actorum '& materiæ delectu. In ſpectaculo Muſico Actorum Actiones prodigio ſimiles eſſe debent, maxime animos permovere, & rapere; quod præſertim eſt Muſicæ. In Tragœdia proprie dicta pugna eſt ſententiarum, magnus rerum conflictus, & cupiditatum, immenſæ herois vires validiſſimis obſtaculis oppugnantur. Non modo Virtutes celſiſſimæ Heroicæ ſunt, ſed etiam Vitia, ea nempe, quæ ex inſolita ingenii audacia, & conſtantia oriuntur.

Heros igitur in Tragœdia ad vivum exprimat violentas animi motiones, & calamitates, ita ut pietatem magnopere ſibi conciliet, terroremque ſpectantibus importet. Terror eſt medius inter timorem, & rerum deſperationem, anguſtat, proſternitque animum, ſenſuſque omnes eripit. Tangimur malis alienis, quia nos iiſdem obnoxios eſſe poſſe videmus. Hinc patet, argumentum Tragœdiæ non modo hiſtoricum, verum etiam fictum eſſe poſſe. Satis eſt, Veritatem Naturæ, ſeu univerſalium rerum apparere in Actione Tragica, ut Spectator cognito caſu, quem propoſitum videt, credat, ſibi eadem mala poſſe evenire, & ſubinde miſeratione capi. Hinc Tragœdia Agathonis, de qua Ariſtoteles in ſua Poet. Hinc Ulyſſes junior Lazarini, hinc aliæ plures Italæ & Gallicæ ſumma laude dignæ, in quibus Actio prorſus conficta fuit.

Omnis Tragœdia certo quodam ſigno diſtinguitur, quo fit, ut aliquem ſenſuum motum in ſpectantibus cieat, cujus ipſa expers ſit. V. g. Crudelitas Actoris in aliis horrorem creat, perfidia indignationem &c. Sin vero Actio ſit quædam crudelitas, aliqua adeſſe huic vitio cauſa debet ad miſerationem. Ut in Medea Amor Jaſonis, repudium, ideoque Actio ſit tragica.

Actio Tragica ſpectatis rerum adjunctis talis eſt vel ex parte Agentis, vel ejus, in quem agitur. Qui agit, vel optimus eſt, vel peſſimus, vel utriuſque particeps, aut po-

potius expers. Actio peſſimi, peſſima eſſet, horroremque injiceret; Optimi vero optima, proptereaque digna laude, & admiratione. Utraque a vi tragica abhorret. Neceſſe eſt ergo, Heros bonus ſit, ita ut ſemper talis non fuerit, taliſque non ſit aliquam partem. Ex actionibus quiſque felix, vel infelix eſt, ait Ariſtoteles, ergo Tragœdia non agitur ob imitandos mores, ſed illa adjungit mores actionis cauſa. Hæc eſt Veterum Poetarum methodus in Tragœdia. Recentiorum vero prorſus diverſa. Ex animi affectibus, & notis naturalibus quiſque felix, vel infelix eſt. Non quæ fiunt, nos ſolent inſtituere, ſed eorum cauſæ. Ergo imitandæ ſunt actiones ad pingendos, & componendos mores. Ariſtoteles loquitur tanquam Poeta, ut noſtri Poetæ loquuntur tanquam Philoſophi, & cives ſimul. Satis erat Veteribus, ſi permoviſſent ſpectatorum animos, exhibentes in Tragœdia heroem nec optimum, nec peſſimum. Qui vult ſpectatorem recte inſtituere, debet fati vim a re propoſita avertere, & efficere, ut Heros perturbationibus actus liber ſit, ſibique pariat malum. Si ipſe fortunæ ſuccumbit, oritur hinc triſtitia, & miſeratio, quod eſt Tragœdiæ; ſi triumphet, gaudium, quod ſolet eſſe Lyrici ſpectaculi. Non eſt neceſſe, ut Heros Tragicus ſit genere illuſtri clarus. De Epiſodiis vide in Epopœja, & Dramate, de partibus Actionis ibidem. nonnulla tamen de *Cataſtrophe* dicenda ſunt.

De Cataſtrophe ſeu eventuum tragicorum ſolutione.

Cataſtrophe in Tragœdia eadem eſt ac in Epico Poemate, ſed ſolertius conſtituenda. Modo enim eventus, qui debet actioni coronidem imponere, videtur eam complicare. (Vide Tragœdiam *Alzire*.) modo repente Perſonarum ſtatum mutat, omneſque ad unum nodos Actionis abrumpit. (*Mitridate*.) hic eventus interdum videtur eſſe velut calamitatis terminus, & tamen ſit ejuſdem cumulus. (*Ines*.) modo contra accidit (*Iphigenie*.) Perfecta erit Cataſtrophe, cum diu Actio anceps erit eventuum conflictu. Tunc enim Spectatorum animi fluctuant incerti uſque ad exitum. (*Rhodogune*.) Sunt Tragœdiæ, quarum nodus tanquam ex ſe reſolvitur per multos animi ſenſus ſibi invicem ſuccedentes, qui tamen ad extremam vicem deveniunt nulla adhibita alterius eventus

aliunde arceſſiti ope. (*Cinna*.) Sed Perſonarum ſtatus ſaltem in Actionis ſolutione mutandus eſt. Maximum artis opus, Actionem ita diſponi, ut Cataſtrophe præparetur, quominus enuncietur, nempe ut præcedentia Cataſtrophen pariant. Plurimum differt, ait Ariſtoteles, fieri hæc per hæc, an ex his, ſcilicet, utrum eventus alii ex aliis naſcantur, an ſimpliciter alii aliis ſuccedant.

Oportet etiam Cataſtrophe ſit improviſa. Diuturna ſpei, timoriſque viciſſitudo alit animi motionem. Eadem animi perturbatio, & ſtabilis in languorem demum delabitur. Amor extinguitur, odium languet, pietas exhauritur, niſi ſpei timoriſque altercatione excitetur. Si eventuram ſolutionem rei præſentias, ſpem & timorem abjicis. Latere debet etiam Cataſtrophe in contextu ejus Actionis, quæ ex re nota educta eſt. Id fiet ſcite, ſi tota Actionis ratio ita dirigatur, ut magnitudo rerum, quæ audiuntur, occupet ſenſus omnes, & nullum ſpectantibus relinquat locum conſiderandi res, quæ aguntur, & cognoſcuntur. Ut igitur Cataſtrophe improviſa ſit, debet eſſe mutatio ſubita incertæ fortunæ in certam.

Inter omnes fortunæ mutationes *Agnitio* plurimum favet *Epiſtaſi*, & *Cataſtaſi*, & *Cataſtrophæ*: *Epiſtaſi* & *Cataſtaſi*, cum præcedit incertus eventuum ſtatus, & concertatio, unde animi perturbationes; *Cataſtrophæ* vero cum ipſa *Agnitio* tenebras diſſipat, mutatque ſubito Perſonarum ſtatum, & de medio tollit anxiam rerum expectationem, & ſolicitudinem animi.

Machinæ etiam & admirabilia (de quibus in Epopœja) maxime præſto ſunt *Cataſtrophæ*. Sed caute & diligenter iis utendum. Horum omnium veriſimilitudo pendet a Dramatis natura, ac moribus, & animorum affectione; & duplex eſt; altera enim ex mentis vi, altera ex animi ſenſibus, & delinitione oritur. Naturalis eventus utramque poteſt ſuſcipere, admirabilis vero non ſemper, qui licet experrectæ menti videatur ridiculus eſſe & incongruus, animo tamen ſenſim delinito, & inflammato Virtutis inſtar eſt. id autem plerumque efficit Poetici furoris æſtus, qui ſenſuum vim obſtupefacit, & opinandi rationem tollit. Actio admirabilis ſtilum ſublimiorem depoſcit, & mores nobiliores, quam naturalis. Oportet, Spectator ex magnitudine Actionis ultra rerum humanarum modum atque ordinem aſſurgens expectet, ac ſuſpiret Deorum opem,

pem, eo quod extrema pericula, & invicta infortunia neceſſario poſcant Numinis præſidium ac vim. E. III. 191.

Cataſtrophe juxta Ariſtotelem, quæ Heroem admittit, nec penitus Virtutibus, nec penitus vitiis exaggeratum, exitum debet habere infelicem. Socrates vero & Plato volunt, Tragœdiam cum lege conſentientem, ut nempe confecta pugna innocentia triumphet, culpa puniatur. Utraque ſententia probari poteſt.

De Tragœdiæ origine apud Græcos & Romanos.

Græci nova & inuſitata ſectantes multa moliti ſunt ad reperiendum Drama, cui demum inveniendo anſam præbuere Bacchanalia. Bacchum vindemiæ, lætitiæque Numen ruſtici & cives celebrabant feſtis diebus; hircus ei mactabatur, in eoque mactando ſacerdotes populuſque Choro facto Hymnos Deo canebant, quos ex victima vocabant Tragœdias vel *Cantus Hirci*. Hi cantus non modo in templis, verum etiam per vias pompa ducta edebantur. Quidam Silenum agens, vectus aſino comitante magna caterva ducebatur non ſine cantu, & chorea. Alii fœdati fecibus ora curru vehebantur, & pocula manu tenentes Bacchi laudes concinebant. Ex rudibus hiſce religionis, cantus, Choreæ, Spectaculique primordis quaſique Chaos ortum eſt Drama. Illi Hymni erant cantus Lyrici, cujuſmodi exemplum videre eſt in Æneide Virgilii, ubi deſcribuntur Euandri ſacra juxta Chororum antiquorum exemplar. Senes, juvenes, feminæ, puellæ in duos Choros diſtribuebantur, ut Hymni ſtrophas alterni canerent. Interdum etiam uterque Chorus, omniſque populus una Hymnos cantabant; Hujuſmodi varietas jucunda erat. Quæ inde invenerint Theſpis & Æſchylus, Sophocles & Euripides vide in Indice, & in notis ad Artem Poeticam. Græcorum Tragœdia ſimplex eſt, parum implexa, videtur arte carere. E. III. 220. 275 uſque ad 280.

Romani primum græcas Tragœdias in latinam linguam verterunt, deinde novas ſcripſere deſumto argumento vel ex græca hiſtoria, & Mythologia, vel ex Latina. Hinc *Tragœdiæ palliatæ*, ubi Actores pallio induti græcam Actionem repræſentabant, & hinc prætextatæ, ubi Actores præ-

prætexta amicti latinam Actionem in ſcenam proferebant. De Ennio, Nævio, Pacuvio, & Accio vid. Ind. & Notas ad Ep. II. 1, 50. 51. 52. 53, 54, 55. 56. & 161. uſque ad 167. & notas Ep. III. a verſu 285 uſque ad 291.

Recentiores Tragici Poetæ tria Tragœdiæ genera uſurpant, ſi excipias genus illud antiquorum, ubi Heros eſt fatorum arbitrio & vi traditus eorumque ludibrium. Hæc genera diverſa ratione tendunt horſum, ut ſcilicet nos moveant, ac doceant. Tria igitur pariter morum genera ſpectat Poeta Tragicus, nempe innocentiam, & Virtutem; Crimen & improbitatem; imbecillitatem, & animi perturbationes.

De Comœdia.

Comœdia eſt ridiculorum morum imitatio ad actionem redacta. Larvam aliqua ex parte nobis eripit, & oculis offert fert ſpeculum. Actio civilis eſt, & apta ad riſum movendum, videtur factu facilis, ſed ſalebrarum pleniſſima eſt. E. II, 168. 169. 170.

Differt a Tragœdia principio, medio, & fine. Quidquid pravi inſitum hominibus principium eſt Comœdiæ. Vitia aliena non ſine jucunditate & contemtu videmus, modo ipſa neque ita cum dolore conjungantur, ut miſerationem excitent, neque ita horrida ſint, ut odium conflent, neque ita periculoſa, ut perterrefaciant animos. Si ridiculorum morum imagines docto ac molli penicillo adumbratæ ſint, ſubridemus, ſin vero ridiculi loci tum narratione tum actione exhibiti acuantur inopina quadam vi, tunc ridemus ad lacrymas uſque. Ex hac, qua affecti ſumus animi propenſione ad captandum riſum, tota Comœdiæ vis pendet & indoles. Non Perſonarum dignitate, nec gradibus perturbationum animi differt a Tragœdia Comœdia. Infortunia, pericula, animi ſenſus modum excedentes ſunt naturales Tragœdiæ notæ; Communes vero mores Comœdiæ. Illa expingit homines, ut alias fuerunt, hæc, ut ſolent eſſe, illa eſt veluti Tabula, qua facta hiſtorica pinguntur, hæc eſt imago recens picta quorumdam hominum tanquam viventium; In illa ita Veriſimile genus nitet, ut facile rei imago pro re ipſa accipiatur, ſecus nullus fletus, nulla miſeratio, ac

terror;

terror; in hac vero rei quoque falſæ ſuſpicio injecta oblectationi eſt; In illa pugnant perturbationes animi, in hac vel vitia inter ſe invicem, vel inter ſe & rectam Rationem ac decorum; in illa ſpectator, in hac Perſona princeps in fraudem pellicienda eſt. Præterea cum duo ſint Actorum, colorumque genera, alii veri, alii Comici; ac primi quidem ut in Tragœdia, veritate, concinnitate, vi, decoro commendentur, alii magis vi, quam veritate, magis affectata agendi, dicendique ratione, quam concinnitate; comicus palam faciat, ſe velle imitari Naturam. Omnis enim ridiculi imitatio eſt per ſe riſu digna. Contra vero accidit in Tragœdia, quæ ſi ſpectetur, ut imago, ne minimum quidem movet; ſi enim imitatio appareat, tergentur lacrymæ, ſilet dolor. Poſtremo hoc diſcriminis maxime intercedit Tragœdiam inter & Comœdiam, quod in hac Actio, colores, ſermones Comici eodem tempore oſtendi poſſunt tanquam veri, & tanquam ficti, ut Natura ſimul & Ars ſeſe oſtentet; in illa vero, ſi patefiat Poetæ conſilium, ac mens, ut ſcilicet in luctum impellat Spectatores, profecto ne hilum quidem proficiat.

Vitium ad Comœdiam pertinet, prout ridiculum eſt, & contemtu dignum. Quidquid eſt deforme alicui certæ regulæ, & legi adverſatur. Ut igitur ridiculum efficiatur, ſententiæ alicujus, mores, habitus, agendi ratio pugnent cum Natura, legibus, conſuetudinibus, cumque iis omnibus, quæ poſtulare videtur præſens illius ſtatus, in quo vitii deformitas cernitur: V. g. homo humili genere natus uſque crepet Reges atque Tetrarchas. Si porro ridiculi naturam penitiſſime introſpiciamus, idem enatum cognoſcemus ex ea comparatione, quam pene inſcii & imprudentes inſtituimus inter noſtros & eorum mores, qui in ſcenam ad riſum movendum proferuntur. Perinde ac ſi certum, confirmatumque ſit, eo in nobis eſſe laudabiliores, quo in illis vituperabiliores. Certe φιλαυτία hoc diſcriminis mirum quantum auget.

Vis comica cum ſit πρός τι, vim ſuam magis minuſve amittit, dum huc illuc transfertur, pro vario bonæ Naturæ gradu. Equidem penes ſingulos fere mortales φιλαυτίας cum recta Ratione, juſti æquique intelligentia cum iniqui uſu conflixerunt, turbaſque concitarunt.

Triplex eſt Vis comica, vel enim ad contemtum pingit

git

git vitium, vel ad ridiculum, vel virtutes communes in tam felici rerum ſtatu exhibet, ut facile ad earum amorem ſpectantes alliciat, vel in periculis & ærumnis tam magnis, ut miſerationem moveat. Plures habet gradus. Alia nobilis & erudita, & ad acuendum, mulcendumque ingenium apta, alia vero pingui Minerva nata ſcurris, paraſitiſque accommodata, quæ continet Servorum ſtrophas, machinamenta, & jocularia e trivio petita. His duobus extremis interjicitur vera vis comica, quæ exhilarat animum, pariterque ingenium illuſtrat, ac perpolit.

De Actionis ſolutione.

Actionis comicæ ſolutio eſt fere quidam eventus, qui artes & technas aperit, qui finem imponit hallucinationibus, qui errorem aufert ſtultis, larvamque Virtutis nefariis; qui tandem omnem ridiculi vim exerit. Quoniam amor jure quodam ſuo omnibus fere comicis nodis fingendis præeſt, reſque hilariter complenda eſt, ſedit Poetis ſententia, conjugium fore Comœdiæ finem. Verum in Comœdiis, quibus præcipui ſunt mores, conjugium ſæpe quidem conficiat, perraro ſolvat Actionem, ſed ex præcedentibus, ex rei propoſitæ viſceribus, & eventuum complexione haurienda eſt actionis ſolutio.

De ſtilo Comico.

Stilus Comicus ſimplex eſt, clarus, familiaris, non humilis, nec vilis, ſententiis facetis, & urbanis conditus, vividis potius, quam exquiſitis dicendi modis refertus. Grandia verba, figuræ ſplendidæ, morales diſputationes procul abſint.

De Origine Comœdiæ.

Tragœdiam Comœdia conſecuta eſt. Homeri Margites, in quo de inerti homine agitur, Comœdiæ fingendæ rationem præbuit. Si quis erat vafer, diſſolutus, idem ſumtis moribus, nomine, veſtitu in ſcenam a Poetis trahebatur. Graſſabatur ea irridendi, lacerandique homines licentia in omnes ordines, ætates, conditiones impune. Cratinus acer, & aperto undique telo; Eupolis gravis,

&

& confictarum novitate Perſonarum ſuſtinebat acerbitatis ſuæ venuſtatem; Ariſtophanes cum riſu mordax, nihil ſine facetiis impingebat. Hæc fuit vetus Comœdia, quo tempore Populus ſummum rerum pincipatum tenebat. Sed Alexandro Athenis potito, fractiſque populi opibus; audacia ac licentia, & inſania in tyrannicam paucorum libidinem verſa, Poetæ metu potentiorum in officio contineri cœperunt. Edicto Lamachi cautum fuit, ne viventium nomina uſurparentur in ſcena. Poetæ ad eludendam legis vim nomina finxerunt, quibus adpingebant ingenia & mores eorum, quos ludos facere volebant, tamque affabre & ad vivum omnia deſcribebant, ut facile ex fictis imaginibus veros homines agnoſcendos propinarent. Hinc duplex orta voluptas, audiendi ſcilicet maledicta, & ſua cuique vitia tribuendi. Hæc quoque Comœdiæ ratio, quæ multo poſt tempore Media vocata eſt, ſilere juſſa. Chorus, cujus præcipuæ eæ videbantur eſſe partes, ut quoſcumque luberet, læderet, omnino ſublatus eſt. illa pars Chori, in qua de Magiſtratibus libere maledicebatur, erat *παράβασις*. Inde Comœdia ad eum redacta Naturæ ſtatum, in quo ferme hodierna ætate eſt, ſpeculum fuit innocens vitæ, & morum: dicta Nova, qua Diphilus & Menander floruerunt.

De Comicis Poetis.

De Eupoli & Cratino vide Indicem.

De Ariſtophane.

Morum imago Comœdia eſt. Athenienſis populus vanus, levis, inconſtans, impius, audax, actuoſus, cupidior deridendi aliena vitia, quam corrigendi ſua erat. Id Ariſtophanis animo ſederat, ut huic populo velificaretur. Potuiſſet ſane Poeta, ſi voluiſſet, aliquam ſaltem partem mores populi componere, ſed cum ipſe vitiis coopertus eſſet, ſe ſatis in tuto futurum putavit, ſi ad populi voluntatem ſcriberet. Hinc tot allægoriæ vivaciſſime rebus adſtructæ. ingenium igitur Populi, & Auctoris gemina talium Comœdiarum erat cauſa. Præterea ſtatus & Natura ipſius Comœdiæ tunc temporis nondum confirmata hæc veluti monſtra in lucem emittebat. Solent enim rapi in ſcenam homines vel pejores quam ipſi ſint, ut fiant odioſiores; aut ſtolidiores, ut contemnantur; aut magis ridiculi,

culi, ut riſus captetur. Hæc tria Ariſtophanis ætate prorſus confundebantur. Deinde nullum intercedebat diſcrimen deos inter & viros in dignitate conſtitutos, hominesque mediocris generis. Poeta cum magnatibus Deos, viros nobiles & ingenuos cum plebe promiſcue habuit. Quid plura? homines in aves mutavit, in veſpas, in ranas, in nubes; larvas excogitavit, ac protulit, quarum aliæ ad terrorem, ad riſum aliæ effictæ. Hinc ſingularis ille ſtilus tam ultra modum effuſus, quam Actores. Non ea quidem diceres eſſe exodia, aut ludionum, ſcurrarumque pinguia joca, ſed potius deliramenta, quæ tamen & callidæ mentis conſilium, & ingenii experrecti vim indicarent. Non ſuus cuique Actori color aderat. Apud eum loquebatur eodem modo Pater & Filius, Dominus & Servus, Dii & Homines, & contra. Modo ſublimis, modo humilis, in eo multus, ut riſum aucuparetur plebis potius, quam Senatorum, honeſtorumque virorum. Vivebat 436 annis ante J. C. Natum. ex 50 Comœdiis reliquæ ſunt 11. Ejus Muſa ſimilis eſt meretrici, Menandri vero honeſtæ feminæ. Menander 80 Comœdias edidit, quarum octo coronam meruere. Nunc aliqua tantum extant fragmenta. Obiit 52. annos natus (Vide Ind.).

De Comœdia Latina.

Romam primum Ludiones ab Atella Oſcorum urbe acciti ſunt, qui jocularia funderent. Poſt aliquot annos, ſcilicet anno ab U. C. 514, & 160 poſt Sophoclem & Euripidem, & 52 poſt Menadrum ab Satyris prius auſus eſt Livius Andronicus argumento fabulam ſerere, qualem tunc temporis Athenæ habebant, cui erat *Actio*, *connexio*, & *ſolutio*. Durus erat ejus ſermo. Illum ſecuti ſunt Nævius & Ennius, qui quotidie magis res ſcenicas excoluerunt, deinde Pacuvius, Cæcilius, Accius, tandem prodiere Plautus & Terentius, qui Comœdiam perpoliverunt. (V. Val. Max. lib. 2. c. 4. & T. Liv. Dec. 1. lib. 7. c. 2.).

Poſt Satyros, rude Poematis genus & obſcœnum, Comœdiam Plautus excoluit, ſed coactus fuit populi genio indulgere. Paucis enim datum acre in ſcribendo judicium. Ingenio libero, & hilari præditus, ſale omnia adſpergebat, & ſcurrilitate. Multus in acuminibus, ludiſque

ver-

verborum, negligentior in verſificatione, ſed idem actuoſus, ardens, facilis, copioſus omnia habet in promtu ad eventus enodationem, Actorum τὰ πάθη, & τὰ ἤθη graphice deſcribit, ſententias ſuis verbis expromit, uno verbo, ſcenico ingenio, ac ſpiritu excellit, magis ad Naturam accedit, quam Ariſtophanes. Obiit annis 184 ante J. C. natum. E. III. 270. &c.

Differt plurimum a Plauto Terentius, qui natus eſt anno ab U. C. 560. Civilem vitam optime pingit, res apprime deligit, arte diſponit, eleganter exprimit, modeſte ridiculum tractat, videtur in Theatro ſe gerere, ut Matrona Romana in ſacra Chorea; caſtigatiſſimo ſtilo præcellit, metu ductus ulterius, quam par fuerit, progrediendi, citra limites continetur. Venuſtate, elegantia, gratiis ornatus nitet, *Utinam*, exclamabat Cæſar, *ſcriptis adjuncta foret vis Comica*! Cum bonus vir eſſet, fortaſſe timebat, ne ridiculos homines proindeque odioſos efficeret, ſi eorum vitia, tota, quanta pectore ac medullis inſident, in apricum proferret. Uno verbo in Plauto deſiderandus Terentii animus, in Terentio Plauti ingenium.

Hæ latinæ Comœdiæ recenſentur ſpecies. *Atellanæ* ab Atella, ut diximus Campaniæ urbe, ad ſcurrilitatem compoſitæ, lingua Oſca, in Actus dividebantur, cantu & Chorea claræ; juvenes Romani Actores erant. *Comœdiæ miſtæ*, quarum pars agebatur, pars vero referebatur, vocabantur partim *ſtatariæ*, partim *motoriæ*: Ut Eunuchus Terentii. *Motoriæ* totæ agebantur. *Palliatæ*, ubi Actio, & Perſonæ græcæ erant, & *pallium* in uſu, dicebantur etiam *Crepidæ* a græca *crepida*. *Prætextatæ*, ubi Actio & perſonæ ex ordine nobilium, eorumque, qui togâm prætextam induebant, deſumebantur. *Rhintonicæ*, vel *hilaro-Comœdiæ*, vel *Latina*, aut *Italica Comœdia*. Inventor fuit Tarentinus ſcurra *Rhinto* dictus. *Statariæ*, ubi plura acta, quam relata: Ut Hecyra Terentii, & Aſinaria Plauti. *Tabernariæ*, ubi Actio & perſonæ a popello petebantur; Actores induti togis prodibant, & ſine *pallio*. Afranius & Ennius iis concinnandis operæ plurimum dederunt. *Togatæ*, ubi Actores togas ferebant; ex his aliæ erant togatæ proprie dictæ, aliæ tabernariæ, aliæ Atellanæ. *Togatæ* inter *Prætextatas* & *Tabernarias* erant mediæ. dupliciter etiam accipiuntur, 1. univerſim de omnibus fabulis Romani Argumenti, nempe Prætextatis, Tabernariis, Atel-

Digitized by Google

Atellanis, Planipediis, & opponuntur Palliatis, h. e. Græcis. 2. peculiari ratione de iis Romanis fabulis dicuntur, in quibus, res levioris argumenti agebantur, & viliores Perſonæ Romano more inducebantur, quibus opponuntur prætextatæ, quæ Regum R. & Magiſtratuum res, mores, & perſonas continebant. „ habent enim hæ (Togatæ) „ quoque aliquid ſeveritatis, & ſunt inter Comœdias, „ & Tragœdias mediæ. „ Seneca Ep. 8. ad fin. *Trabeatæ* inventæ a C. Meliſſo, ubi Actores amicti trabeis erant triumphatores, equites, &c. *Mimi*, ubi Actores ſine ſocco prodibant, ita græce dicti, latine *Planipediæ*, *Comœdiæ Planipes*, (Diom. lib. 3. c. 4) toti in ſcurrilitate id ſpectabant, ut popellum oblectatione detinerent. Celebres apud Latinos fuere Mathias, P. Syrus, & Laberius ſub Cæſare. Hinc Decimum Laberium tanti fecit J. Cæſar, ut eum equitem Romanum creaverit. Laberius obiit anno 711 Puteolis. Auguſto imperante claruit Philiſtion, Silon ſub Tiberio, Virgilius Romanus ſub Trajano, M. Marcellus ſub Antonino. Tragœdia & Comœdia Romæ non admodum floruit. Romani proclives erant ad ſpectandos Mimos. Auguſti ætate viguere Pantomimi, qui ſola actione animi ſenſa exprimebant. Pilades & Batillus illuſtres Pantomimi id fere ætatis fuere. Romanorum animi ad hoc fabulæ genus oculos animumque converterunt.

De Apologo.

Apologus eſt puerorum Spectaculum. Non illic Alexandri, non Cæſares, ſed Muſca, Formica agunt hominem, noſque inſtruunt. Animalibus adpinguntur hominum mores. Quidquid exiſtit, quodammodo loqui videtur, cum ſe oculis percipi ſinit; & animo ſapientis tacitas quaſdam voces ingerit, licet aurium nuncio minime utatur. Poeſeos ope omnes ſumit formas Sapientia, ut animis hominum adrepat; cum pueris ludit, ridet cum populo, Reginam agit cum Regibus, & docet homines delectando. Actio igitur in Apologo, ut in aliis Poematibus nitet. Hæc debet eſſe una, & magni momenti, habere prologum, nexum, ſolutionem, locum ſcenæ, Actores ſaltem duos, vel aliquid aliud, quod locum ſecundi Actoris teneat. Sui cuique Actori ſint mores, & ſermones. Apologus eſt igitur

tur Allegoricæ actionis narratio fere a Brutis animantibus habita. Narratio ſit brevis, clara, veriſimilis. Brevis erit, ſi res a nimis remoto fonte non petantur, ſi abſint inutilia, ſi miſſum fiat, quod ſubaudiri ſatis poteſt, ſi ſingula ſemel dicantur, & quæ ſunt neceſſaria. Clara, ſi ſuo loco, tempore, ſingula ponantur, ſi dicendi modi proprii, ingenui. Veriſimilis, ſi locus, tempus, occaſio, agendi facilitas, Actorum ingenia, affectioneſque magnopere faciant ad Actionem, ſi omnia ſecundum Naturam, & audientium mentem pingantur. Carere non debet ornatibus, nempe imaginibus, deſcriptionibus locorum, perſonarum, vultuum. Præcipua cura Poetæ Apologos confingentis debet eſſe perſuaſio jucunda, & utilis. Debet enim ipſe ſuſcipere munus hominis ſimplicis & creduli.

Tria ſunt Apologorum genera, alii *Rationales*, quorum Perſonæ rationales ſunt, alii *Morales*, quorum Perſonæ licet rationis expertes, tamen mores hominum induunt, *Miſti* alii, quorum altera Perſona rationalis cum altera agit irrationali. Stilus debet eſſe ſimplex, familiaris, venuſtus, nativus.

Æſopus eſt auſterus Philoſophus in Fabulis; vi ſententiarum, & Veritatis contentus. Phædrus his Virtutibus adjecit Veneres.

De Bucolicis.

Bucolica Poëſis eſt vitæ campeſtris imitatio, cujus generis ſunt Eclogæ, Idyllia. Materies Eclogæ eſt vitæ ruſticæ tranquillitas, juſta rerum copia, perfecta libertas, dulcis hilaritas. Admittit moderatos animi motus, ex quibus lamenta, cantiunculæ, certamina poetica, lepidæ narratiunculæ gignuntur. Eſt pictura ætatis aureæ, regnum libertatis, purarum voluptatum, & pacis; eſt receſſus ſimplicium hominum. Bucolica omnes poeſeos formas induere poſſunt: Extant Tragœdiæ, Comœdiæ, Elegia, Eclogæ, Idyllia, Epigrammata, Inſcriptiones, Allegoriæ, Neniæ, atque adeo Poemata Epica Paſtoralia. Bucolica in ſcena maxime placere poſſunt, præſertim ex his adjunctis, ſcilicet Spectaculo, Actione, Muſica, Chorea, quibus ornamentis ſpoliata, & moralis utilitatis expertia frigeſcunt. Stilus debet eſſe ſimplex, dulcis, nativus, in ſententiis, & dicendi modis, lepidus in deſcriptionibus, in

in apta & conſona colloquendi ratione. Si de re quapiam nobili, magnique momenti loquentem Paſtorem inducas, id ipſe faciat animo timido, ancipiti, & turbato, ita ut ſimpliciter narrare grandia videatur.

Theocritus Syracuſanus in hoc genere princeps Poetarum eſt. Ea ineſt Poetæ ſuavitas, & dulcedo, quam nemo imitari poteſt. Ejus Idyllia ſimilia prope ſunt pomis matutino roris frigore humeſcentibus, parcoque colore micantibus. Ejus verſus pleniſſimi ſunt ſpiritus, imaginum, igniculorum, harmoniæ. Floruit Hieronis Syracuſarum Regis ætate, 260 annis ante J. C. natum.

Moſcus Siculus & Bio Smyrnæus tenuiore filo Eclogas deduxere. Patet in ſententiis delectus, & ſtudium, Artis potius, quam Naturæ opera, in allegoriis ingenium, in narrationibus ornatus, in elogiis cura, & curioſitas. Theocritus ſimplicem naturam pinxit, cum quapiam cultus negligentia; Moſcus arte diſpoſuit, Bio ornavit. Apud Theocritum Idyllium in ſylvis manet, & in viridantibus pratis, apud Moſchum in urbe, apud Bionem in ſcena. Dixeris verius hæc eſſe tria Poematum genera.

Theocritus, & Virgilius, quidquid de nemoribus, fontibus, gregibus, aliiſque hujuſmodi dici unquam poteſt, affabre pinxerunt. Aliis Poetis reliqua ſunt tantum diverſa animi ſenſa, quæ, ut natura ſua ſunt, exprimi debent. Illæ ruſticæ narratiunculæ toties repetitæ interdum nihil ferme ad rem faciunt.

Virgilius Mantuanus Theocritum imitatus eſt. Ejus Bucolica plane dulcia ſunt, & tenui ſale condita. (V. Ind.) ad hoc genus multa Horatii præcepta pertinent.

De Elegia.

Elegia alternis verſibus longiuſculis dulces animi ſenſus exprimit, triſtitiam nempe, & gaudium. Modo capillis ſparſis incedit, nigra veſte, neglectoque habitu oris prodit; mœret, gemit; modo honeſtæ feminæ ſimilis decenter ſubridet, & graviter agit, modo meretriculæ par riſu rictum diducit, & laſcivibunda os impudens oſtentat. Elegiæ ſtilus ſit nitidus, facilis, dulcis, pingat mores, acumina, & altius eruta vitet, ludoſque in verbis. Apud Græcos claruerunt in hoc genere Mimnermus, &

Cal-

Callimachus. Apud Latinos Tibullus, Propertius, Ovidius primas tenent. Tibullus prope ad Naturam accedit, dulcis eſt, elegans. Propertius eſt durior, quia eruditior. Ovidius nimis indulget ingenio ſuo, omnia dicit, quæ dici poſſunt, ideoque plura, quam par eſt. E. III. 75. &c.

De Epigrammate.

Epigramma nihil aliud olim erat, quam inſcriptio quædam. Inſculpebatur in fronte templorum, in monumentis, in ædificiis publicis &c. Quæ ſepulcris incidebantur, vocabantur Epitaphia. Inſcriptiones quo antiquiores, eo ſimpliciores reperiuntur. Aliquando conſtabant initialibus litteris aliquorum verborum, quorum reliquæ divinandæ erant; aliquando morales erant, ut quæ in templo Delphico: γνῶθι σεαυτὸν. Sæpe monumenti hiſtoriam annunciabant, cauſam, cur erectum fuerit, Auctoris nomen, tempus, quo poſitum &c. Omnia perſpicue, ſimpliciter, & quam breviſſime referebantur, omiſſis iis, quæ ſubaudiri poterant. Multa hujuſmodi Epigrammata extant in Anthologia, plurima quoque apud Latinos. Multa Catullus ſcripſit, quæ egregia eſſent, ſi honeſta; Martialis quamplurima, de quibus ipſemet judicium tulit:

„ Sunt bona, ſunt quædam communia, ſunt mala plura,
„ Quæ legis hic; aliter non fit, Ariſte, Liber.

Catullus eſt dulcior, facilior, Naturæ propior; Martialis vividior, robuſtior. Epigramma eſt ſententia ad movendum apta, feliciter breviterque expreſſa. Ejus materies latiſſime patet; modo enim tollitur ad maxima quæque & nobiliſſima in omnibus generibus, modo ad minima & infima deprimitur, Virtutem laudat, corripit vitium, injurias ulciſcitur impudentium hominum illatas ſocietati &c. Videtur tamen magis congruere ſimplicibus, mediocribuſve generibus, quam ſublimibus, quoniam natura ſua liberum ac facile eſt. Duas neceſſario partes habet, quarum altera eſt expoſitio rei, ex qua ſententiam elicuit Poeta, altera eſt ipſa ſententia, quæ lectorem permovere debet. Rei expoſitio ſit facilis, perſpicua; ſententia vero libera ex ſe, & ratione, qua effertur. Quamvis Epigramma conſtet interdum vel 20 verſibus, nimis longum non erit, ſi omnia verba neceſſario referantur

ad ſententiam, ſi quæque aliunde arceſſita valde conferant ad ſtabiliendam ſententiæ formam. Permovebit autem lectorem ex parte rei ipſius, & modi, quo res ipſa oſtenditur. Primum, ſi quidpiam maximi momenti concludatur; alterum, ſi ſententia tenui filo deducatur. Aliquando jocus ipſe animum movet, aliquando malignitas, aliquando neſcio quod abſurdi, inopinati, modo dulcedo ſententiæ, modo ſimplicitas, modo audacia, modo ſingularis ſtructura. Epigrammata, quorum ſumma Virtus eſt ludus in verbis, aut ex ambiguo dictum, parvi facienda. Idcirco hoc Poeſeos genus magis *te capiet*, *ſi longius abſtes*, i. ſi parum illud examines. E. III. 362. idem *amat obſcurum*. E. III. 363. *& placet ſemel*. E. III. 365. Epigrammatis partes ita inter ſe devinciantur, ut faciliter ſuum munus exſolvant, ne ullum verbum, vel ſyllaba ſit, quæ aures lædat, ſono duro, arido, ſtridulo, producto, ne rerum, verborumque inverſiones, ne Ellipſes inſolitæ, ne inutilia, vel nimis exquiſita ingenio negotium faceſſant. Ne minimo quidem vitio venia datur in Epigrammate, ad cujus perfectionem infinita prope adminicula neceſſario requiruntur, unde merito judicatur res ſalebrarum pleniſſima. Sed finem facio, ne Mantiſſa (ut ajunt) obſonium vincat.

IN.

I N D E X

Rerum memorabilium ad Hiſtoriam, Mythologiam, & Geographiam ſpectantium, quæ in Horatii operibus continentur.

ACADEMUS Athenienſis vir, dives, Philoſophiæ ſtudioſiſſimus magnificam domum pulcherrimis porticibus afſulgentem, & plurimis ſtatuis ornatam, cui nemora, & viridaria ſepibus clauſa, & pluribus ſemitis interſecta adjacebant, Philoſophis reliquit. Hinc Academici. E. II. 2, 45.

ACCIUS Tragœdiarum ſcriptor inſignis, natus traditur parentibus libertinis, Mario & Serano Conſſ. Ejus Tragœdiæ fuere clariſſimæ ſententiarum, verborum pondere, & auctoritate Perſonarum. Eum tamen ut duriuſculum notat Cicero ad Atticum. Junior 50 annorum ſpatio fuit, quam Pacuvius. obiit anno 618. S. I. 10, 53. E. II. 4, 56.

ACHILLES filius Pelei Regis Theſſaliæ, & Thetidis filiæ Iterei, & nepos Æaci. Eum puerum Mater ter merſit flumine Stygio, ne ulla corporis parte vulneraretur, excepto calcaneo, quo tenebat eum Mater, dum aquæ immergeret. Magiſtrum habuit Chironem Centaurum. Cum ab Oraculo inaudiviſſet, ſe in bello Trojano occiſum iri, muliebri veſte indutus inter filias Regis Licomedis ſe immiſcuit; ſed detectus ab Ulyſſe coactus fuit ire ad obſidendam Trojam. Unde diſceſſit iratus Agamemnoni propter raptam ſibi Hippodamiam; Inde illuc rediit audita amici Patrocli nece. Interfecit Hectorem, & tandem ipſe fauciatus calcaneo a Paride periit in templo Apollinis, dum accepturus erat in matrimonium Polixenam filiam Priami. Phthia Theſſaliæ urbs erat ejus Patria. O. II. 16, 29. IV. 6, 4.

ACRISIUS ultimus Argorum rex cum ab Oraculo admonitus fuerit, a nepote ſibi vitam ereptum iri, & ſceptrum, Danaen filiam ſuam in turri bene munita incluſit. Jupiter aditum ſibi aperuit mutatus in aureum imbrem, & filium ex illa puella habuit nomine Perſeum,

qui poſt multos caſus Acriſii crudelitatem punivit, & in lapidem eum vertit, propoſito ante ejus oculos Meduſæ capite. 160 annis ante captam Trojam regnavit, 568 ante Olympiadas, 1345 ante æram Chriſtianam. O. III. 16, 5.

ACROCERAUNIA ſunt excelſi montes, ita dicti, quod fulminibus infeſtentur. Lateribus antiqui Epiri inſident, & Adriaticum ab Jonio ſeparant. Proficiſcentibus ex Italia in Græciam objiciuntur. O. I. 3, 20.

ACTIUM eſt promontorium & urbs in ſinu Ambraciæ inter Epirum & Acarnaniam. Per 60 ferme annos Reſp. bellis civilibus vexata fuit. Anno 666 Marium inter & Sullam diſcordiæ exortæ ſunt, quæ in morte M. Antonii anno 724 tandem extinctæ. Jam vero (*altera ætas*) Africa, Illyrium, Gallia, Hiſpania, Sicilia, Sardinia, & tota Italia Octavio ſtudebat. Ægyptus tota, Libya, Cyrenaica, Thracia, Græcia, Macedonia, omnes inſulæ vicinæ, præterea decem aut duodecim Reges confœderati Antonii partes ſequebantur. Romani in duarum partium ſtudia diſtrahebantur. Conſules anni præcedentis Antonio favebant, & ad eum acceſſerunt in Ægyptum profecti. Octavius teſte Plutarcho in Antonio 250 naves habebat, Antonius vero 510. Ille duces Meſſalam, Collegam, Agrippam, Mæcenatem, Statilium Taurum, Larium, Aruncium &c., hic vero inter cæteros Cœlium, Poplicolam, & Soſium, & Canidium. Multa levia certamina ſuſcepta ſunt, in quibus victor fuit Octavius. Multæ copiæ terreſtres & maritimæ ab Antonio ad Octavium deſciverunt. Certe Cn. Domitius Ahenobarbus cum inibi eſſet, ut certaretur, ira accenſus in Cleopatram ad Cæſarem tranſmiſit, veniamque per Agrippam impetravit. Cœlius ſiniſtrum cornu tenebat longis navibus, poſt quas delitescebant 60 naves Cleopatræ, dextrum vero cornu tenebat Antonius, & Poplicola: Contra vero Cæſar dextrum, Agrippa ſiniſtrum. Tandem ambæ claſſes congreſſæ ſunt. Expectatio tantæ rei omnium mortalium animos occupabat, incertus exitus perterrebat. Præteritorum bellorum memoria omnia in unum collecta mala, quæ hinc manant, ante oculos ponebat. Antonii claſſis in aditu ſinus propter latus meridionale, Octavii vero propter Septemtrionale ſiniſtrorſum extendebatur. Naves igitur ab Antonio rebellantes dextera ſinus parte relicta, ſiniſtram

pe-

petierant, ut ad Octavium confugerent. Hujus rebellionis culpam confert Horatius in Cleopatram, quam non puduerat in media pugna jactare mollitiem. Jam vero diu pugnatum eſt. Cleopatra diuturni conflictus tædio affecta in Ægyptum fugit, quam deinde Antonius ſecutus eſt, gloriam pugnæ, ac diſcrimen Ducibus ſuis relinquens. Mæcenas utrumque fugientem Liburnis navibus aſſequi nequivit. Hæc acta ſunt anno 723. Antequam bellum terminaretur, & Octavius Athenas peteret, Mæcenas, deinde Agrippa Romam venere Octavii ejuſdem juſſu ad reprimendam junioris Lepidi conjurationem. Jam homo captus eſt, & ductus ad Principem. Soſius per Aruncium in gratiam Octavii rediit. O. V. *9*, 1. *19*. *16*, 1.

ÆACUS fuit unus ex tribus Inferorum judicibus, filius Jovis, & Æginæ, & Pater Pelei, & Telamonis. Æacidæ uſque ad imperium Macedonum, & Romanorum ſplendide regnarunt. O. II. *7*, *27*. 13, 22.

ÆGÆUM mare eſt inter Turcas Europæos, & Anatoliam, a Dardaniæ freto uſque ad Cretam excurrens. O. II. 15, 2.

ÆLIORUM gens licet plebeja tamen antiquiſſima erat, & nobiliſſima. Formiis Romam ſe transtulit, ubi ſe in ſeptem vel octo familias diſtribuit, & tandem per Antoninos imperii ſolium conſcendit. Ille, de quo ſermo eſt, imperaverat claſſi Auguſti contra Cantabros. ejus Patrem vel Patruum Cicero commendat D. Bruto Imper. Ep. *16* & *17* lib. XI. in Præturæ petitione; & laudat Ep. 22. lib. XII. ad Cornif. Ejuſdem meminit in Orat. pro Sext., & poſt reditum, & in Piſonem. O. I. 2, 33.

ÆMILIUS LEPIDUS gladiatorum ludum inſtituit, ubi Polycletus longo poſt tempore balneum publicum conſtruxit. E. III. 32.

ÆNEAS Veneris & Aachiſes filius, a quo Cæſar genus deduxit, in Italiam tulit ſtatuam Veneris Erycinæ, cui templum conditum fuit extra portam Collinam, & magnifica porticus Romæ. Erycina dicta ab Eryce monte in Sicilia prope Drepanum. O. II. 2, 33.

ÆOLII Aſiæ minoris populi Cumas in Campania condiderunt. ibi texebantur retia linea venatui apta. E. I. 18, *46*.

ÆSCHYLUS poeta tragicus cum eſſet calvus, & in a-

prico forte quieſceret, teſtula ab Aquila in altum delata cum decidiſſet, caput ejus confregit, interemitque anno 279. Theſpin imitatus plura ejus inventis addidit. Actoribus larvam præbuit, ſyrmata, cothurnos; pro curru Theatrum erigi juſſit, Stilo uſus eſt gravi, cum antea ſeria ludo miſta eſſent; Actores duos in Scenam protulit, Actionem integram finxit, quæ conſtaret argumento, rei connexione, & ſolutione; Actoribus tribuit τὰ ἤθη, & τὰ πάθη, & convenientia, fecitque, ut Chorus, qui olim erat totius ſpectaculi inſtar, Actioni poſthac famularetur, ſicut antea Actio Choro. Ejus Tragœdiis giganteo triumpho ſimilibus inerant multa dura, aberant illæ Charites, quas ars, & tempus feliciter inventis adjiciunt. (vide Ariſt. in Poet.) E. III. 279.

ÆSOPUS & ROSCIUS præſtantiſſimi erant Actores. Ille ad vivum exprimebat voce ac geſtu τὰ πάθη in Tragœdiis, & ideo vocatur *gravis* a Poeta. Hic vero illa agendi, & declamandi ratione vivaci, naturali, familiari excellebat, quæ decet Comœdiam. Vocatur *doctus*, quia pronunciandi ſuavitate, & actionis vi præſtabat, & quia opus edidit eruditiſſimum de theatrali eloquentia. E. II. 1, 82.

CLAUDIUS ÆSOPUS filius Æſopi inclyti Actoris tragici fuit. Plinio teſte exſorbendam præbuit unionem ejuſdem pretii ſingulis convivis ſuæ menſæ accumbentibus. Ferunt ſibi a Patre relicta 20000000 ſeſtertiorum minorum. Luxu vicit Patrem filius. Ferculum in paterna menſa æſtimatum eſt 600 ſeſtertiorum minorum; Filius abſorpſit uniones. S. II. 3, 239.

ÆSULA erat colonia antiqui Latii 9 millibus paſſ. ab urbe diſtans. O. III. 29, 6.

ÆTHIOPIA eſt regio Africæ ſub meridiano cardine fertilis, circa occiduum montuoſa, in medio arenoſa, ad Orientem deſerta. Ejus ſitus ab Occiduo Atlante monte ad Orientem uſque in Ægypti fines porrigitur; a Meridiano, Oceano; a Septemtrione, Nilo flumine clauditur; plurimas habet gentes diverſo vultu, & monſtroſa ſpecie horribiles; Ferarum quoque & ſerpentum referta eſt multitudine. O. III. 6, 14.

ÆTNA mons in Sicilia propter latus Orientale Vallis Nemorenſis inter Pelorum & Pachinum, eructat a cacuminibus flammas. O. III. 4, 76.

AFRANIUS vivebat anno circiter 650, ingenio vivido, eloquentia, dulciſſimo ſtilo, & jocandi arte præſtans. Illud Comœdiæ Romanæ genus ſcite pertractavit, quæ mores & ritus Romanos repræſentaret, & in qua Actores veſtibus Romanis induti prodirent in ſcenam. Hinc ejus Comœdiæ vocabantur togatæ. E. II. 1, 57.

AFRICUS ventus flat inter Meridiem, & Occidentem, ſi ſpectes Italiam. O. I. 1, 15.

AGAMEMNON filius Pliſthenis, & nepos Atrei rapuit Hippodamiam captivam Achilli. hinc magna diſcordia inter utrumque coorta, quæ diu duravit. E. I. 2, 12.

AGAVE Filia Cadmi uxor Echionis Regis Thebarum una cum Bacchis filium ſuum Pentheum dilaniavit. S. II. 3, 303.

M. VIPSANIUS AGRIPPA, per quem Vipſaniorum familia repente e tenebris emerſit, fuit Ducum præſtantiſſimus, & vir ſuæ ætatis integerrimus. Primum J. Cæſaris amicus, inde Octavii. Auguſtus nuptum ei dedit ſuam Filiam Juliam viduatam morte Junioris Marcelli. Poſt Conſulatum, quo functus eſt anno 717, ad ineundam ædilitatem deſcendit anno 720, & ſpectacula populo magnificentiſſima exhibuit. 700 aquarum ductus conſtruxit, 105 fontes, quorum numerus poſthac auctus eſt. „ Tiberim (ut ait Acro) de proprio derivavit alveo, „ ad eum, per quem modo fluit; antea enim hic amnis „ Velabrum & agros inundabat. „ Cloacam maximam expurgavit, e qua per ſeptem canales in Tiberim ſordes defluerent, multas vias munivit, & ædificia publica jam jam caſura inſtauravit. Ex Julia quinque filios habuit nempe C. & L. Cæſares, qui juvenes occubuere, Juliam Agrippinam, quæ poſtea nupſit Germanico Cæſari, Juliam Vipſaniam, quam deinde uxorem duxit L. Paulus Æmilius, & M. Julium Cæſarem Agrippam Poſtumum, quem Tiberius necari juſſit. Tertio Conſul fuit. Regreſſus ex Pannonia obiit anno 742. O. I. 6, 5. S. II. 3, 185. E. I. 10, 20. III. 63, 67.

AJAX Telamonis filius, & Æſionæ, Græcorum dux uxorem habuit Tecmeſſam, & filium Euriſacem, qui Patri in regnum ſucceſſit. furore percitus, quod arma Achillis Ulyſſi potius, quam ſibi tradita fuerant, ſe interemit. O. II. 4, 5.

AJAX filius Oilei, Regis Locrenſium violavit Caſſandram

dram in templo Palladis . Quare Dea ita in eum ira exarſit , ut Græcorum claſſem Eubœæ ſcopulis illiſerit . O. V. 10 , 14. S. II. 3 , 193. 201. 211.

ALBA urbs condita ab Aſcanio erat inter montem , & magnum lacum nemori interjectum , & pratis , teſte Livio . 500 annos circiter floruit , & everſa eſt a Tullo Hoſtilio. O. III. 3 , 11. IV. 1 , 19.

ALBINUS erat dives fœnerator, filius ejus licet puer in reſponſis palam faciebat , ſe plura ſcire , quam quæ rogabatur , & ſupputandarum rationum artem callere . Horatius oſtendit, tunc pueros a ſcientiis , artibuſque liberalibus diſcendis procul amoveri ſolitos , & ad compendia quærenda devocari . E. III. 327.

ALCÆUS æqualis , concivis , & Amicus Poetriæ Sapphus , Poetarum lyricorum facile Princeps fuit . Poemata ejus fere omnia deperdita ſunt . Ea omnium maxime inclareſcebant Horatii & Quintiliani judicio , quæ contra Pithacum , Myſilum , Megalagyrum , Cleanætidas , alioſque protulit , quorum factiones Lesbum totam ſubverterunt , & Æoliam . In exilium pulſus exulum poſtea dux bellum Tyrannis movit , quibus tandem ejectis ſibi æternam nominis famam comparavit . O. I. 33 , 4. II. 13 , 27. IV. 9 , 7.

ALCEUS Pater fuit Amphitrionis , Alcmenæ maritus , unde natus eſt Hercules . O. I. 13 , 25.

ALCINOUS Rex regnabat in Corcyra prope Albaniam in aditu ſinus Adriaci . E. I. 2 , 28.

ALEXANDRIA magna , Ægypti caput , illuſtris propter Pharon . Nunc eſt congeries ruinarum , vocaturque *Sanderia'*. Cum Julius Cæſar ignem accendiſſet ſuæ Claſſi anno 707 , ne hoſtes ea potirentur , bibliotheca iiſdem flammis combuſta eſt . Pharos diruta poſtea fuit , cujus ruderibus uſi ſunt Turcæ ad condendam arcem in aditu portus . O. IV. 14 , 35.

ALEXANDER Macedonum Rex Philippi filius vocatus eſt Magnus ob præclariſſimas ſuas res geſtas . veneno periit . E. II. 1 , 232.

ALGIDUS mons in Latio , in cujus vertice eſt oppidum dictum *Rocca del Papa* , 12 mill. paſſ. ab urbe diſtat inter viam Labicanam , & Latinam . O. III. 23 , 9.

ALLOBROGES regionem occupabant , quæ patet a lacu Genevæ propter Rhodanum uſque eo , quo aquæ ejuſdem flu-

fluminis, & Iſaræ confluunt. Bis perfidiam ſuam oſtenderunt. Primo in bello Catilinario, poſtquam ſuam fidem jurejurando firmarunt in Senatu, in Remp. arma ceperunt. Secundo poſt Cæſaris mortem ex rebus Romanis jam perturbatis emolumenta ſe percepturos rati expulerunt Romanos Vienna, quæ eſt ad Rhodanum. O. V. 16, 6.

ALPHENUS Cremonenſis vixit ante Horatii ætatem. Poſtquam tonſoriam exercuit in patria ſua Romam venit, ubi juriſprudentiæ animum applicuit, & in celebrem evaſit juriſconſultum. Fuit Servii Sulpitii diſcipulus, rerumq. antiquarum non incurioſus, Digeſtorum libros quatuor compoſuit, & totidem Collectaneorum. Julius Paulus in ἐπιτομὴν redegit primum opus. Catullus eo familiariter uſus eſt, ut apparet ex Endecaſyl. *Alphene immemor* &c. τὸ *vafer* denotat inſignem forenſium rerum experientiam. S. I. 3, 130.

ALYATES Pater Crœſi in Lydia regnavit & nomen dedit illis populis. Lydia Aſiæ minoris regio vocata Mæonia propter Cayſtrum extendebatur. Finitima erat Phrygiæ, Cariæ, Joniæ, Æolidis. O. III. 16, 41.

AMPHION filius Jovis & Antiopæ, ſuæ lyræ, & verſuum incantamento ita delinire potuit ſylveſtres homines, ut facile induxerint ſibi animum ad condendas urbes, quo in ſocietatem coirent ſub iiſdem legibus. Amphion & Zethus gemini fratres ingenio, & inſtituta vitæ ratione ac ſtudio multum inter ſe diſpares fuiſſe dicuntur. Primus enim fuit Philoſophus, idemque Muſicus, alter Paſtor a Muſis & Philoſophia alieniſſimus. Ille comis, ſuavis, commodus, Hic agreſtis, ſeverus, inſuavis. Qua ex diſſimilitudine factum eſt, ut amicitia, charitaſque illa fraterna facile diſſolveretur. O. III. 11, 2. E. I. 18, 41. III. 393.

AMYNTAS rex Galatiæ, qui venerat latum auxilium Antonio cum 2000 Equitum, ſe cum copiis dedidit Octavio. T. Livius vocat eos *Gallos* pro *Gallogræcos*, Dio vero *Galatas*. O. V. 9, 18.

ANACREON ſuaviſſimus Poeta fuit. Ejus Odæ animi potius, quam mentis partus ſunt. Coævus fuit Cyri, natus eſt Tej in Jonia. Bathyllum Samium efflictim amavit. Ipſe vero amatus fuit a Polycrate, qui ſibi ſtatuam poſuit jam canere & cithara ſonare viſam. Obiit 6 Olympiade

piade annos natus 83. In ejus operibus, quæ plura extant, ſpirant Veneres, & voluptas, brevitas nitet, gratiæ ſimplices, nativæ, quaſique nudæ ludunt. O. IV. *9*, *9*. V. 14, 10.

ANCUS MARTIUS 4 Rom. Rex fuit, nepos Numæ. O. V. *7*, 15.

ANIO flumen a finibus Hernicorum originem ducebat, Æquorum regionem interfluebat, Sabinos a Latinis ſeparabat, & in Tiberim volvebatur paulo ultra Romam, poſtquam alluerat Variam, & Tibur. Vocatur Anio ab Anio Etruriæ rege, qui in illud flumen ſe præcipitem dedit, quod quemdam Cethegum curſu aſſequi nequiverit, filiæ ſuæ raptorem. O. I. *7*, 13.

ANNIBAL Amilcaris filius dux Carthaginenſium cum ingenti exercitu primum in Hiſpaniam, deinde ſuperatis Alpibus in Italiam deſcendit, ad Taurinos, Ligures, & Inſubros. 15 annorum ſpatio vicit ad Trebiam T. Sempronium, ad Traſimenum Flaminium, ad Cannas P. Æmilium, & Terentium Varronem Conſſ. Tandem minor Scipio re effecit, ut vinci ille poſſet. Cum demum ad Pruſiam Bithyniæ regem confugerit, mortem ſibi conſcivit, ne in Romanorum poteſtatem veniret. O. II. 12, 2. III. *6*, 36. IV. 4, 45. 8, 16. V. 16, 8.

ANTILOCHUS cum videret Neſtorem patrem ſaucium, & pene a Memnone oppreſſum inter duos bellatores ſe conjecit, & ictus jaculo periit. O. II. *9*, 14.

ANTIMACHUS Poeta græcus Poema ſcripſit de reditu Diomedis in Patriam poſt captam Trojam, & a morte Meleagri initium petivit. Alter Poeta ſtultitia pari ſcripſit Iliadem, quam narrandam ſuſcepit ab ortu Helenæ. A nimis remoto principio rem ambo deduxere. E. III. 146.

ANTIOCHUS Rex Syriæ fuit Seleuci Callinici Filius. Succeſſit Seleuco Ceranno Fratri ſuo, & cognomen Magni promeruit ex Virtute bellica, qua clariſſimas totius regni provincias recuperavit, quas Satrapæ aulæ ſuæ, & vicini Reges in ſe invicem partiti ſunt, dum nondum exceſſerat ex ephœbis. Cum Annibal & Ætoli eum adegiſſent ad capienda arma in Romanos, omnes fere ejus opes dilapſæ ſunt trium annorum curriculo. Ejuſdem copiæ a prætore Æmilio Regillo in ſinu Epheſino fuſæ ſunt navali prælio; terreſtri vero apud Thermopylas ſub

Ælio

Ælio Glabrione, & tandem a L. Cornelio Scipione in campis Magneſiis propter Hermum ipſe popoſcit pacem, quam demum impetravit conditionibus ſane ſibi ignominioſis. O. III. *6*, 38.

ANTIPHATES erat Læſtrigonum Rex, qui ea fuerat inhumanitate, ut multos Ulyſſis ſocios devoravit. E. III. 145.

ANTISTHENES & ARISTIPPUS Socratis diſcipuli ingenio inter ſe omnino diſcrepabant, & ſui Magiſtri doctrinas ad extrema ſibi invicem toto cœlo oppoſita redigebant. Primus Socratis ſermonibus veluti perculſus in quemdam locum ſemotum conceſſit prope Templum Canis albi: κυνοσάργες: hinc Cynicorum nomen, quod poſtea ex procacitate & impudentia confirmatum eſt. Ille enim Naturam ab omni labe ſecretam contemplatus, & abradens animo, quidquid abſurdi vel habitudo, vel præjudicatæ opiniones adjecerint, omnia bona ſua putavit eſſe continenda unius baculi ope ad arcendos ferarum impetus, & unius peræ ad quotidianum panem ferendum, & pallii duplicis abſque alia veſte ad prohibendas æris injurias: *quem duplici panno patientia velat*. Voluptatem malum ſummum, Virtutem duriſſimam, & aſperrimam ſummum bonum eſſe affirmabat. Hæc virtus juxta illum & Stoicos in agendo conſiſtebat, nempe in conſtanti privatæ omnis utilitatis abdicatione, quaſique odio, & in ſummo erga Patriam & Societatem ſtudio. Ex altera vero parte Ariſtippus Cyrenaicus novum inſtituit Philoſophiæ moralis σύστημα, in ingenito amore poſitum, quo quiſque ad conſervationem ſui, & ad meliorem vitæ ſtatum expetendum fertur, atque in maxima earum rerum ignoratione, quæ prorſus externæ nobis ſunt. Similem faciebat hominem obſeſſæ urbi, cujus omnis aditus atque exitus plane interclusus eſt. (vide Plutarchum.) In hujuſmodi ſtatu homo, (atque etiam urbs) probe videt, plurima exiſtere ſive animantia, ſive inanima ſibi externa, eaque vel favere, vel adverſari, ſed, quidquid ad eorum ingenium, naturamque ſpectat, omnino ignorare vult. Quid ſibi amicum, quid inimicum ſit, eo temporis momento agnoſcit, quo vel gaudium ex ope, vel dolorem ex impetu, iſtuque percipit. Sed neſcit, utrum id, quod adeſt, magnum ſit an parvum, album an nigrum, dulce an amarum, calidum an frigidum, bonum an malum; id ſolummodo intelligit,

git, ſe hanc vel illam rei affectionem ſentire, ac vim. Præterea cum ipſe omnia ſibi externa nulla plane ratione cognoſci poſſe videret, & in hac verum univerſitate nihil aliud veri & boni ſibi propoſitum, quam ut ipſe reapſe exiſtat, ſenſuſque moveantur; hinc pronunciavit: Sapienti ſenſuum motus unice reſpiciendos eſſe, eo quod felicitatem pariant, ſi jucundi, ſin vero injucundi, infelicitatem. Ariſtippus ſe felicem voluit, ut Sapiens eſſet, Antiſthenes, ſe ſapientem, ut felix. Ille longius videbatur proceſſiſſe, quam Epicurus, hic, quam Zeno, atque hac de cauſa uterque Horatii conſilio erat accommodatus. Ille id quærebat voluptatis, quod gaudenti animi ſenſu combiberet, aſſerebatque, hoc animi gaudium ex iis dumtaxat ſenſuum motibus manare poſſe, quos res quædam ſubjectæ excitarent. Epicurus voluptatem ineſſe putabat in pacato cupiditatum ſtatu, quaſique ſilentio, animum volebat perturbatione carentem, corpus dolore. Jam vero Ariſtippus ſibi uni proſpiciebat, ſe unum ſpectabat, neque id prædicare verebatur. Si ego, ajebat, viris Principibus blandior, non ipſis, ſed mihi id facio. *Scurror ego ipſe mihi*: iis officium præſto, iis obſequor, ut ſcilicet eorum menſa utar, & equis. *equus ut me portet, alat Rex, officium facio*. Sæpe ego viſo Laida, ſed mei ipſius gratia, non illius. ἔχω Λαΐδα, κ' οὐκ ἔχομαι. Dionyſius Tyrannus me olim ſputo conſpurcavit; ne minimum quidem commotus ſum hujuſmodi injuria. piſcatui dare operam poſſumus, quominus madeamus? culpæ mihi olim datum eſt, quod me ad illius Regis pedes proſtravi, ut Amico beneficium impetrarem; egone incuſer, quod ille auritos pedes habet? Tandem, quidquid accideret, in rem ſuam vertere optime ſciebat Ariſtippus. *Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res*. Diogenes Laert. ait: „ Erat autem is (Ariſtippus) qui omni & loco, & tempori, & perſonæ ſervire, quique omnem ipſe perſonam ſuſtinere poſſet. „ & Ælianus: „ Curam rerum præteritarum abjiciebat, futurarum metu non cruciabatur, ſolis præſentibus oblectabatur, ſi ex animi ſententia ceſſiſſent, ſi contra, caſum forti, & celſo animo ferebat: quæ denique aderant, illi ſatis erant; quæ deerant, minime deſiderabat, & ſic ſe ſolebat ad omnia accommodare. „ Eodem ferme pacto ex ſingulis vitæ eventibus (ait Horatius) eas tantum

partes,

partes, quæ mihi proſint, jucundæque ſint, ſeligere cupio; *mihi res*: & eas omnes, quæ mihi triſtitiam quodammodo afferre poſſunt, ita procul abeſſe jubeo, ut ne earum quidem imago menti ſubeſſe queat: *nec me rebus*. Id ſentiebat Ariſtippus, nempe *Sapientem omnia ſua cauſa facere*; quo ferme pacto (ajebat Epicurus) Dii ſemetipſos tanquam ultimum finem ſpectare poſſunt, atque adeo ſpectant. Dicendi modi prope ſimiles penes Stoicos hinc, & penes voluptatis propugnatores illinc in cauſa fuere, cur Sanado, aliique interpretes deciperentur. Antiſthenes & Zeno ſeſe virtute ſua involventes ea omnia, quæ fortunæ arbitrio ſubduntur, rejicientes cum Ariſtippo quodammodo dicere poterant, *mihi res*, *non me rebus ſubjungere conor*: rebus omnibus volo imperare, & nullis me ſubdere. Eadem eſt utriuſque ſententiæ ſpecies. Ariſtippus bona fortunæ rejiciens, & ſua voluptate ſe involvens, (quam veram Sapientis virtutem eſſe autumabat) Stoicis dicendi formis uti poterat, & cum Antiſthene & Zenone pronunciare: ego totus ſum in me ipſo, velut perfectiſſimus globus, *in me ipſo teres atque rotundus*, globus inquam, ad quem inimica adhæreſcere fortuna nequit: *in quem manca ruit fortuna*: Ejus bonis gaudeo: *laudo manentem*: quominus tamen cupiditate tranſverſus agar; ſi vel leviter moventem alas ſentiam volucrem Deam, continuo illi dona reſtituo: *ſi celeres quatit alas*, *reddo*, *quæ dedit*: & meæ Philoſophiæ inſtitutis me totum trado, *& mea virtute me involvo*; quæ Philoſophia docet, meam in me ipſo ſitam eſſe felicitatem, nec extra me poſſe conſiſtere: *in me ipſo totus*. Hinc Ariſtippus nunquam pecuniam vel uni jucundo ſenſuum motui prætulit, imo ipſe argentum projici in via juſſit, ut levatis onere nimio ſervis una citius eo, quo tenderet, perveniret. *Servos projicere aurum in media juſſit Libya*, *quia tardius irent propter onus ſegnes*. Quid melius præſtare potuiſſet Stoicus? Sententiæ igitur utriuſque Sectæ generatim ſumtæ ſpecie quidem ſimiles erant, ſingulatim vero & reapſe diverſæ. In his conveniebat. Sapienti ſummum bonum amplectendum: Summum illud bonum eſſe Naturæ perfectionem; ſed cum hæc vox *Natura* ſonare poſſet vel omne genus humanum, vel ſingulos homines, Stoici primo verborum ſenſu accepto concluſerunt, ſuimetipſius immemorem eſſe debere ſapientem, ut omnes

ſuas

ſuas curas & cogitationes in bono publico quærendo ac tuendo defigeret. Ariſtippi vero mens ſpectabat *φιλαυτίαν*, quæ regnum virtutis uſurpabat. Ut ſummatim dicam: *ſcurror ego ipſe mihi*: dicebat Ariſtippus Diogeni Antiſthenis diſcipulo, *populo tu*: tu es canis latrans; (*mordacem Cynicum*) qui inſectaris homines, ut eos ad ſocietatis humanæ utilitatem unice, & obnixe appetendam compellas, *populo tu:* ſum quidem canis cubans (*βασιλικὸν κύνα*) homines in eo ſtatu, quo ſunt, vivere patior, &, quæ ſtulte agunt, in rem meam convertere conor; *ego ipſe mihi*: tu bona fortunæ vehementer deſpectas, tanquam vera mala, ego vero nec ea conquiro, nec ſequor; nunc adhibeo, nunc prætereo, ſemper mihi bene eſt, & curo, ut melius: *Tentantem majora, fere præſentibus æquum*. Ariſtippus olim Diogenem ad balneum invitavit, cumque prior exiſſet, ſumſit pallium duplex Cynici, & ſuum reliquit ſane ſplendidum; Diogenes noluit alterius pallium induere, & teſtatus eſt, ſe potius nudum domum iturum, quam cum pallio non ſuo. (Memoires de litterature tirèes des Regiſtres de l' Academie Royale des Inſcriptions & belles Lettres .; Developement de la morale d' Ariſtippe &c. par Mr. Batteaux anno 1754. T. 26.) O. III. 29, 53. 55. S. II. 3, 100. E. I. 1, 16. 17. 18. 19. 17, 13. 18. 19. 23. 31.

ANTIUM Volſcorum urbs in Latio. hodie eſt oppidulum maritimum apud *Caput Antii*, 8, & 20 millibus paſſ. ab Hoſtia diſtans. Fuit Neronis patria. Ibi templum magnificum fortunæ ſacrum erat, ſicut etiam Præneſte. A ruinis veteris Antii multa antiqua monumenta effoſſa ſunt. O. I. 36, 1.

M. ANTONIUS repudiata Octavia Octaviani Sorore uxorem ducturus erat Cleopatram. Violento hujuſce Reginæ amore ebrius, & cupidus cum ea dominandi Romæ, bellum movit Octavio. Orientis totius opibus nixus ingentem claſſem adornavit, & cum Cleopatra in Peloponneſo conſtitit anno 722, ubi ejus claſſis quotidie magis augebatur. Hinc ille proximo vere Italiam invaſurus erat. cætera alibi. obiit Alexandriæ manu ſua interemtus 53 vel 56 annos natus. O. I. 16, &c.

JULIUS ANTONIUS erat M. Antonii & Fulviæ filius. vocatus eſt *Julus* pro *Julius*, quia Julii ſe a Julo Æneæ filio oriundos eſſe jactabant. Fuit Horatii Amicus. Ejus

avia

avia erat Julia filia L. Julii Cæſaris, qui conſul fuit anno *664*. „ Julius Antonius ſingulare exemplum clementiæ Cæſaris, violator ejus domus, ipſe ſceleris a ſe „ commiſſi ultor fuit, (Vell. lib. 2.) quem victo ejus „ Patre non tantum incolumitate donaverat, ſed Sacerdotio, Prætura, Conſulatu, provinciis, honoratum „ etiam matrimonio ſororis ſuæ filiæ in arctiſſimam adfinitatem receperat. Quintiuſque Criſpinus ſingularem „ nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Sempronius Gracchus, aliique minoris nominis utriuſque ordinis viri, quaſi cujuslibet uxore violata, pœnas pependere, cum Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent conjugem „. Anno 752 L. Julius Antonius ejus filius, & hujus familiæ poſtremus in exilium pulſus eſt Maſſiliam, ubi obiit anno *776*. Erat Poeta eximius. Plura Poemata evulgavit, inter cetera Epicum in 12 libros diſtributum, inſcriptumque *Diomedes*. Ea ætate nobilitas generis & divitiæ cum doctrina conſociabantur. Litterati viri acre judicium, & omnigenæ eruditionis ſupellectilem in viris principibus offendebant, quibus opera ſua dicare inſtituerant. O. IV. 2, 2. 33.

ANTYCIRA ad ſinum Meleacum, & montem Œtam adjacens erat hellebori feraciſſima. S. II. 3, 83.

ANXUR a Græcis Τραχίνα, hinc Terracina. Volſci hanc Urbem nominarunt *Anxur*, vel *Axur*, qua voce indicabant etiam *Jovem*, quia in tutela Jovis erat. Extat Numiſma, cujus inſcriptio eſt, *Jupiter Axurus*. S. I. 5, *26*.

APPIA via [anno 441 ducta fuit ab Appio Claudio Conſule, & Cenſore Capuam uſque. Nondum enim Reſp. fines ſuos ultra illam urbem dilataverat. Julius Cæſar eam viam abſolvit Brunduſium uſque. Lata erat 12 pedes, quadratis lapidibus ex Campania eductis ſtrata. O. V. 4, 14. S. I. 5, *6*.

APPIUS CLAUDIUS CÆCUS illuſtris ob ſeveritatem Cenſuræ ſuæ fuit, quam quinque annos obivit. S. I. *6*, 21.

APELLES eximius pictor, patria Cous. ab eo tantum ſe pingi volebat Alexander Magnus. E. II. 1, *239*.

APENNINUS mons eſt, qui Italiam mediam partitur, & a Genua incipit, ſupraque Carnos incumbit. O. V. *16*, *29*.

APPULIA MESSAPIA hodie tellus Hydruntina eſt regio Italiæ meridionalis inter ſinum Tarentinum, & aditum in ſinum Venetum. O. II. 5, 14.

AQUARIUS ſignum Zodiaci conſtat 12 Stellis. Menſe Januario hoc ſidus adit Sol. hinc *annum inverſum*, i. abſolutum. S. I. 1, 36.

AQUINUM urbs olim in Latio, in regione Volſcorum 8, vel 9 millibus paſſuum Fabrateria diſtabat, hodie eſt in agro Laurenti tribus mill. paſſ. longe a Lari. Hic tingebantur lanæ eo colore, qui imitabatur purpuram. E. I. 10, 27.

ARABIA eſt magna Aſiæ peninſula inter Mare Rubrum, & ſinum Perſicum. In tres dividitur, nempe in Petræam, Deſertam, & Felicem. Extrema procedit ad meridiem in Oceanum, hinc a nonnullis vocatur Cherſoneſus Arabica. Pompejus, Scaurus, Marcius Philippus, Lentulus Marcellus, & Aulus Gabinius Bellum intulerunt in Arabiam Petræam. Sabæa erat pars Arabiæ felicis. O. I. 30, 1.

ARCHIAS erat faber lignarius, vel tornator ſatis notus ea ætate, qui lectos convivales ſimplices, & breviores, quam quibus divites, & nobiles utebantur, fingebat. E. I. 5, 1.

ARCHILOCHUS eximius Poeta Lacedæmonius, vel Parius Jamborum inventor fuit. Cum Lycambe Spartanus Neobules Pater ſe Filiam ſponſam Poetæ daturum promiſiſſet, & poſtea pœnitentia ductus alteri nuptum dediſſet, ita jambis Satyricis Archilochi laceſſitus eſt, ut cum filia laqueo vitam terminaverit. vixit 200 annis ante Sapphonem, & Alcæum. Floruit ſub Regibus Lydiæ Candaulo, & Gyge, vel Regnante Romulo Romæ, ut ait Cic. 1. Tuſcul. Quintilianus lib. 10. c. 1. ait: „ Summa in „ hoc vis elocutionis, cum validæ, tum breves, vibran„ teſque ſententiæ, plurimum ſanguinis, atque nervo„ rum, adeo ut videatur quibuſdam, quod quidem mi„ nor eſt, materiæ eſſe, non ingenii vitium. „ O. V. 6, 13. E. I. 19, 24. III. 79.

ARCHYTAS Tarentinus magnus Philoſophus, Aſtrologus, Geometra, Mechanicarum artium peritiſſimus multa ingenioſe excogitavit. Pythagoræ Philoſophiam amplexus eſt. O. I. 29, 2.

ARCTOS ſidus ſeptemtrionale proximum polo, vocatur urſa minor, Cynoſura, ut ſecernatur ab altera, quæ ma-

magis diſtat a Septemtrione, & vocatur Helice. Altera quidem fuit Calliſto filia Lycaonis Regis Arcadiæ, altera vero una ex nutricibus Jovis. O. II. 15, 16.

ARCTURUS inſignis ſtella inter 22 alias, e quibus conſtat ſignum Bootæ, quæ tempore Virgilii & Horatii oriebatur pridiè nonas Septemb. Columellæ vero ætate nonis ipſius menſis, nunc denique 10 Cal. Octob. O. III. 1, 27.

ARGUS urbs Argolidis in Peloponneſo, quam alluunt duo flumina Frixus & Inachus in ſinu idem nomen ferente. Antiqua Argolis eſt hodie Inachia. Argus vero exiguus vicus. O. I. 7, 9.

ARGUS vocatus ab Ariſt. Lycas in Theatro vacuo ſedere ſolebat, perinde ac ſi audiret Tragœdos. Ibi plaudebat, ibi exultabat. Cum ita ſtultus eſſet, tamen cetera vitæ munia optime ſervabat, hoſpitio amicos excipiebat, prudenter agebat cum uxore, cum ſervis. Cognati eum helleboro multo tandem priſtinæ valetudini reſtituerunt. Tunc ille queſtus eſt, ſe felicitatem amiſiſſe. Athenæus lib. 12 narrat, quemdam Traſilaum atra bile ita fuiſſe affectum, ut putaret naves omnes, quæ in Piræum appellerent, ſuas eſſe; quandocumque eo morbo laboravit, jucundiſſime vixiſſe, poſteaquam autem opera medicorum ſanus factus eſt, dixiſſe, nunquam ſibi in vita melius fuiſſe, quam cum inſanus eſſet. E. II. 2, 128.

ARIADNA Minois filia, & Paſiphaes dono accepit a Venere auream coronam novem gemmis diſtinctam, a Vulcano elaboratam. Bacchus cum amaviſſet hanc feminam, ejus coronam collocavit in cœlo. Corona eſt hodie Sidus novem Stellis conſtans inter Herculem, & Draconem. O. II. 19, 13.

ARICIA, hodie *Rizza* in Latio, urbs olim Latinorum in via Appia. Roma diſtabat, ut aliqui putant, 10 mill. paſſ. at Strabo ait eam diſtare 160 Stadia. S. I. 5, 1.

ARIMINUM urbs maritima in *Statu Pontificio*, quam alluit flumen ejuſdem nominis. Erat olim in Regione Senonum in Italia. O. V. 5, 42.

ARISTARCHUS Grammaticus Alexandrinus ex Samothracia oriundus, præceptor fuit Ptolemæi Philometoris Regis Ægypti. Acri in re litteraria judicio pollebat. 80 & amplius volumina edidit, quibus Homerum, Ariſto-

phanem, aliosque Poetas interpretatus eſt, & cenſoria virgula notavit. Præcipue Homerum expurgavit. Si Euſtathius eos libros vidiſſet, aliquem certe locum indicaſſet. Vocatur divinus, Propheta propter ſibi inſitam ſagacitatem. Sponte ex inedia obiit in inſula Cypro 72 annos natus, cum ferre non poſſet hydropiſin. E. III. 449.

ARISTOPHANES Poeta comicus ex Lindo Rhodi oppido, lege vero Athenienſis, Patre Philippo, maledicus, & in carpendis hominum vitiis liberrimus, inventor tetrametri, & octometri verſus. Filios habuit Ararota, Philippum, Philetærum, Comicos omnes. Fabulas edidit 54, vel 50, ex quibus XI tantum ſuperſunt ſine lacunis. Florebat prope finem belli Peloponneſiaci. Obiit 30 annis circiter poſt Cratinum, 436 ante J. C. N. Priſcam Comœdiam clauſit, & mediam aperuit. Hinc in poſtremis ſuis Comœdiis Actorum nomina ficta ſunt, poſtquam Lamachus Athenienſium dux edicto cavit, ne quis Poeta Comicus poſthac quemquam nominaret proprio nomine in Comœdiis. (v. *Mantiſ. de Poet. Com.*) S. I. 4, 1.

ARMENIA eſt regio cincta a monte Tauro, a montibus Pariadibus, & Caſpiis ab Antitauro, & Niphate, & Gordianis ſemper nive, geluque coopertis. Terra eſt ſale referta, quare frigus magis augeſcit. O. II. 9, 4.

ARRIUS erat fortaſſe Sacerdos unus ex Septemviris Epulonibus, qui conviviis publicis præerant ante Deorum ſtatuas parandis, cum de rebus graviſſimis ageretur. S. II. 3, 86. 242.

ASDRUBAL Annibalis frater in Hiſpania duos Scipiones debellavit, & cecidit. Cum in Italiam trajeciſſet cum magnis copiis, ut Fratri ſuppetias ferret, juxta Traſimenum lacum a Claudio Nerone, & Livio Salinatore Conſſ. victus eſt, & occiſus. (vide infra *Claudia gens*.) O. IV. 4, 35.

ASSARACUS filius Trois Regis Trojani in Phrygia. Scamander & Simois flumina Troadis. O. V. 13, 19.

ATHENÆ urbs in Attica ſub Palladis tutela. Arx vocabatur Cecropia, aut Acropolis. In hac urbe ſcientiæ, & artes omnes maxime floruerunt. Sita erat, quo confluebant Iliſſus, & Eridanus exigui fluvii. habebat tres portus. O. I. 7, 5.

ATLAS altiſſimus mons totius Africæ. Spatium occupat millium leucarum. Incipit ab Oceano occidentali vocato

ĉato Atlantico, procedit curvo ſpatio in regnum Feſſanum, & Juliæ Cæſareæ, & reflectitur circum regna Libyphœnicum, & Tripolis, & terminatur oris Mediterranei portum Salomonis verſus. O. I. 32, 14. 35, 15.

ATREUS Pelopis, & Hippodamiæ filius, avus Agamemnonis, & Menelai Fratri Thyeſti filium epulandum appoſuit, quod ille uxori ſuæ ſtuprum intulerit, ob quæ infanda facinora Sol ne pollueretur, curſum retrorſum dicitur convertiſſe. E. III. 186.

ATTALUS PHILOMETOR rex Pergami in Myſia fuit. Ejus divitiæ in ore omnium hominum verſabantur. O. I. 1, 12.

ATTICA erat olim provincia Acajæ, & regio Græciæ nobiliſſima, propter ſinum Sarenicum. hodie eſt *la Livadia meridionale*. O. I. 3, 5.

AVENTINUS tertius Albæ rex colli nomen dedit, ubi ſepultus eſt, qui collis poſtea intra urbis mœnia exceptus. Ejus radices alluebantur aquis Tiberis. ad Septemtrionem diſtat a Quirinali ad meridiem ſito 4000 paſſ. hodie vocatur *monte di S. Sabina*. O. V. 19, 69. E. II. 2, 69.

AVERNUS lacus erat circa Cumas ad Campaniæ fines, per lacum Lucrinum interjectum in ſinum Tyrrhenum influebat. Illac patuiſſe viam ad inferos ferunt fabulæ. Magnam vim Veteres aquis illis tribuebant, quibus utebantur in ſacris faciendis, ut Deos inferos placarent. O. V. 5, 26.

AUFIDUS interfluit Apuliam ab Occidente in orientem, & in ſinum Adriacum volvitur. In Hirpinorum montibus naſcitur, prope Compſam in principatu ulteriori, & curſu ſuo ſejungit Apuliam Dauniam a Peucetia, & Lucania. O. III. 30, 10. IV. 9, 2. 14, 25. S. I. 1, 58.

AULIS erat urbs & portus Bœotiæ in ſinu Euboico. Illic morari coactis adverſorum ventorum vi Græcis Agamemnon vel Calchantis hortatu, vel ambitione ductus ſuam Filiam Iphigeniam Dianæ immolandam curavit. Sed Diana pietate commota eam tranſtulit in Tauros, & in ejus locum ſuffecit Cervam. Euripides tragœdias duas fecit, inſcriptas Iphigeniam in Aulide, & Iphigeniam in Tauris. O. I. 16, 7. S. II. 3, 199.

Digitized by Google

B

BABYLO magna Aſiæ urbs ad Euphratem, fuit caput Babyloniæ. Incolæ Aſtrologiæ judiciariæ ſtudio ſe dabant, & Ephemeridas conſulebant ad ſuas figuras perficiendas, & computandos dies ac menſes. O. I. 12, 2.

BACCHUS filius Jovis, & Semeles, Deus vini, totum fere terrarum orbem peragravit, Gigantas vicit, & Indos. Vocatur Baſſareus, vel ab urbe Lydiæ dicta Baſſara, vel ab illis ferocibus feris, quæ ejus currum ducebant, dicebanturque *Baſſaria* teſte Herodoto. venia a Jove Patre impetrata deſcendit ad inferos, ut Semelem matrem inde reduceret. O. I. 13, 21. 19, 11. 29.

BACTRIANA regio majoris Aſiæ, quæ excurrebat propter ripam meridionalem Oxi inter *Sogdianam*, *Indum*, *Paropamiſam*, & *Margianam*. Bactra urbs primaria regionis, hodie *Termend ſul Gilon*. O. III. 29, 28.

BAJÆ oppidum illuſtre ob balnea non minus ad voluptatem, quam ad utilitatem accommodata, inter Cumas, & Puteolos ſitum in latere Campaniæ. Agrippa illic portum conſtrui juſſit anno 717. Nomen deduxit a Bajo Neptuni aut Mercurii Filio, & Ulyſſis ſocio. terræmotu anno 1538 hæc urbs diruta eſt. O. II. 18, 20. III. 4, 24. S. II. 4, 32. E. I. 1, 82. 15, 2. 12.

BANTIUM, & FORENTUM urbes in Lucania circa illud Vulturis latus, ubi Horatius dormiebat. Vultur ſejungebat Apuliam a Lucania eo loci. Urbes vero illæ erant ex parte Lucaniæ non Apuliæ, ubi eas falſo poſuerant Geometræ teſte Sanadone. Acherontia erat in Apulia, teſte Livio, ſed quia alta, ideo eminus proſpiciebatur. O. III. 4, 15.

BARIUM urbs diſtabat 20 mill. paſſ. Rubis in Apulia. S. I. 5, 96.

BELLEROPHON, & PELEUS, quorum alter filius Glauci, & nepos Siſiphi, alter Achillis Pater, calumniæ victimæ fuere. Amoris ignem inviti afflarunt duabus Reginis, & nefariis earum conatibus obſtiterunt. Anthea vel Stenobea uxor Præti Regis Argorum, & Hippolita uxor Acaſtis regis Magneſiæ accuſarunt altera quidem Bellerophontem, altera vero Peleum illatæ vis. Prætus miſit Bellerophontem ad Jobatem generum ſuum Lyciæ regem, qui

eum

eum coegit cum Chimæra pugnare. Qua debellata uti voluit equo Pegaſo, ut in cœlum iret, & videret, quid illic fieret. Sed Jupiter tabanum miſit, quo Pegaſus adeo agitatus fuit, ut ſeſe excutiens Bellerophontem dejecerit. Peleus traditus fuit in manus Centaurorum ad necem. Sed ille eos contra trucidavit gladio, a Vulcano ſibi dato, Deorum juſſu. O. III. 7, 15. 12, 8. IV. 1, 28.

BENEVENTUM urbs in regione Hirpinorum 8 millibus paſſ. diſtabat a Caudio: eſt hodie *Ducatus in Principatu ulteriori*, quo confluunt Sabatus, & Calor fluvii, qui in Vulturnum influunt. S. I. 5, 71.

BERECYNTHI nomine veniunt duo montes, quorum alter erat in Creta prope urbem Apteram, ubi Dactyli Idæi uſum ferri, ignis, & æris invenerunt, alter in Phrygia prope fluvium Marſiam, ubi Cybeles colebatur. O. III. 9, 18.

CORNELIUS BESTIUS morum aſperitate inſignis fuit. Perſius in Sat. 6. v. 37, Horatio concinit de Beſtio, eumque opponit Philoſophis Græciæ. E. I. 15, 37.

M. CALPURNIUS BIBULUS conſul fuit anno 695. iners & ineptus omnia peragenda relinquebat Julio Cæſari collegæ. O. III. 28, 8.

BIDENTAL erat locus aut ædificium fulmine tactum, dictum ab ove bidente, quæ ob prodigii procurationem ab Aruſpice immolata ibi ſepeliebatur. Nonius bidental dici vult, quod binæ pecudes mactarentur. hic locus erat ab aliis ſejunctus. Impii & ſacrilegi vocabantur, qui eum violare auſi fuerint, aut ejus fines movere. E. III. 470.

BION Boriſtenita ſophiſta erat, & Poeta, imitatus eſt Archilochum, & Hipponactem in Satiris faciendis, & Homerum cenſoria virgula notavit. E. II. 2, 60.

BISTONII Thraciæ populi Orienti propiores, quam Edoni circa lacum Biſtonidem propter ſinum Piericum. O. II. 19, 20.

BITHUS & BACCHIUS fortiſſimi Athletæ. Certo letho dabantur, quotquot auſi fuiſſent cum illis manus conferere. Cum nemo igitur decertare vellet de victoria, ad ſingulare ambo certamen venere, tantaque virium dimicarunt contentione, ut in arena animam exhalarent. S. I. 7, 20.

BITHYNIA erat illa pars Anatoliæ, quæ eſt ad mare Eu-

xinum, & continet regionem Cangrorum inter oſtia Rhyndaci in Propontidem influentis, & Parthenii in Euxinum. Sylvæ Bithyniæ & Ponti præbebant excellentia ligna ad conſtruendas naves. *Thyna merx* ſignificat multiplicia opera minuta, quæ hi populi ex ferro, ære, auro, argento docta manu conflabant. O. I. 36, 7. III. 7, 3.

BŒOTIA Acajæ provincia a ſinu Corinthio uſque ad Euripum porrigebatur. Aer illius regionis erat valde craſſus, quare ii, qui putabant ingenium ab aeris natura pendere, Bœotos ſtupidos nuncupabant. E. II. 1, 244.

BOLA urbs erat Æquorum in confinio Latii inter Æſulam, & Præneſte. Hinc Bolanus, de quo Poeta loquitur. Cicero verba facit de M. Bolano, & Tacitus de Veccio Bolano. S. I. 9, 11.

BOSPHORUS Thraciæ eſt fretum Ponti Euxini inter Thraciam ad Occidentem, & regionem Cangrorum in Anatolia, ad Orientem. Mare hoc eſt longum 400 paſſibus, ideo eſt aleæ pleniſſimum. Dicitur Boſphorus, quia Io in juvencam converſa natatu illum trajecit. Erat alter Boſphorus dictus Cimmerius in introitu paludis Mæotidis juxta Tauricam Cherſoneſum duorum mill. paſſ. latitudine, per quem palus Mæotica in Pontum defluit. Dicitur Cimmerius a Cimmeriis populis, qui partem ejus frigidiſſimam incolunt. O. II. 13, 14.

BRENNI in Valle Plenia prope fontes Ticini in confinio Valeſiæ, & pagi Urienſis ſunt. O. IV. 14, 11.

BRITANNI immolabant olim advenas, modo eos vivos diſcindebant divinationis petendæ cauſa, modo aliorum corpora telis tranſverberabant, alios cruci affigebant, alios feris devorandos tradebant, alios in coloſſo vimineo, vel ligneo claudebant cum belluis, cui deinde ignem accendebant ad holocauſtum faciendum. O. III. 4, 33.

BRUNDUSIUM urbs diſtabat 40 mill. paſſ. Gnatia in antiqua Calabria, nempe in Hydruntina terra. S. I. 5, 101.

M. BRUTUS Cæſaris interfector, Stoicus, occulti pectoris, ingenii ſuperbi, fama clarus, aliquandiu Athenis moratus eſt, ubi plures nobiles juvenes ſibi milites adjunxit, qui litteris, ſcientiiſque operam dabant, inter quos Horatium, quem legionis h. e. 5000 peditum Tribunum fecit anno 711. In Oriente Lyciam occupavit. Non erat tunc Romæ Prætor, ſed Proprætor. (vide Perizonium in

tract. de Prætorio) ſuas copias cum Caſſio conjunxit, in Theſſalia ab Octavio & Antonio fuſus eſt. obiit 37 annos natus. S. I. 7, 18.

C

CADMUS Agenoris Phœnicum regis filius, qui a Patre miſſus ad quærendam Europam ſororem, juſſuſque ſine ea non reverti, deſperato reditu Thebas in Bœotia condidit. Poſtea autem a Zetho & Amphione regno pulſus ad Illyricos ſe contulit, ubi Deorum miſeratione & ipſe & uxor in ſerpentes mutati ſnnt. Filios habuit Semelem, Agavem, Ino, & Æctonoen. E. III. 187.

CÆCILIUS STATIUS captivus Gallus oriundus ex Inſubria fuit Tragœdiarum ſcriptor. Cic. lib. 7. ad Att. ait, eum malum eſſe Auctorem latinitatis. Obiit anno 586, uno poſt mortem Ennii anno, & duobus antequam Terentius in ſcenam prodiret. E. II. 1, 59.

CÆCUBA & FORMIANA vineta erant circa Auruncos in Latio; Calena & Falerna in Campania, quorum agri optima vina ferebant. Plinius teſtatur Cæcuba & Calena vina ſuis temporibus a priſtino honore decidiſſe. O. I. 12, 11. 21, 9. 32, 9. 38, 5. II. 14, 15. III. 28, 13. V. 9, 1. 36. S. II. 8, 15.

C. CÆSAR Filius Agrippæ & Juliæ natus eſt an. 734 ineunte Septembri. Communis lætitia & gratulatio ſolari debebat Auguſtum mœrentem deſiderio junioris Marcelli extincti. „ Julia eodem tempore Cajum peperit, ſacrificiumque perenne ejus natalibus cum quibuſdam aliis „ decretum eſt. „ Dio an. 734. Publica letitiæ argumenta dabantur in hujuſmodi ſucceſſibus. M. Agrippa tunc Romæ, & toti Italiæ præerat; & iturus erat ad regendas Gallias, dum Auguſtus in Oriente Parthos in ſuam ditionem redigere ſatagebat. Sed Cajus adoleſcentulus obiit anno 757 Limyræ in Lycia, nulloſque filios habuit ex Livia, aut Livilla Druſi Germanici filia. E. I. 5, 9.

CALABRIA vetus diverſa erat a recenti. Nam erat pars Japigiæ, aut Meſſapiæ, continebat Apuliam, Peucetiam, Lucaniam, & Salentinos, ab Egnatia uſque ad Hydruntem. Erat nimirum illa regio, quæ in regno Neapolitano continet partem Septentrionalem Peucetiæ, & partem

Septen-

Septentrionalem, & Orientalem Hydruntinæ terræ. O. V. 1, 25.

CALES fuerunt populi prope Falernos & Maſſicos. hinc vinum Calenum. O. I. 21, 9. 32, 9. IV. 12, 14.

M. FURIUS CAMILLUS Gallos vicit, eripuit eis ſigna, quæ ipſi Romanis abſtulerant prope Alliam Brenno duce. O. I. 13, 42.

CALLIMACHUS Poeta Cyrenenſis Elegias elegantiſſimas ſcripſit, vixit apud Ptolomæum Philadelphum, & aliquandiu etiam apud Evergetem, bibliothecæ regiæ præfectus. Omne poematis genus etiam attigit. In adverſarium poetam acerbiſſimum ſcripſit, quem ficto nomine Ibim appellat. E. II. 2, 100.

CAMPUS MARTIUS patebat inter Tiberim, & montem Palatinum, & Quirinalem, & Capitolinum. O. I. 9, 5.

CANTABRI, ASTURII, & VACCÆI diu Romanis obſtiterunt. Aſturiam incolebant. 10 annorum ſpatio cum iis bellum geſſere Romani. Statilius Taurus eos profligavit anno 725. Sextus Apulejus 730, C. Furnius, & P. Cariſius 731, M. Agrippa demum omnino 734. „ Hiſpania prima Romanis provincia, poſtrema omnium perdomita „ eſt. „ T. Liv. lib. 28. O. II. 6, 2. 11, 1. III. 8, 22. IV. 14, 41. E. I. 12, 26. 18. 55.

CANUSIUM parva civitas, quam interfluit Aufidus torrens prope Cannas. Philoſtratus in vita Herodoti Sophiſtæ ait: „ Canuſium in Italia inducta aqua, cujus vehemen- „ ter indigebat, habitabile reddidit. S. I. 5, 91. II. 3, 168. 10, 30.

CAPITOLIUM arx erat monte Tarpejo, ubi præter plura ædificia extabant 60 Templa, quorum clariſſimum erat Jovis. Ruinæ & fundamenta priſci Capitolii exiſtunt adhuc in aqua prope Xenodochium S. Spiritus, ad S. Angeli pontem. Poſt quatuor incendia Bonifacius Pontifex illud erigi juſſit. Capitolium recens conditum eſt ſuper veteris fundamenta ex aliqua parte. Templum Jovis in ea parte Capitolii ſitum erat, quæ ſpectabat forum Olitorium (*la piazza montanara.*) ejus admirabilis ſtructura, & ornamenta, quibus decoratum fuerat, & munera, quæ provinciæ ſubditæ, & Reges ſocii illuc mittebant, hoc monumentum ſplendidiſſimum reddidere. Erat figura quadrata, 220 pedum, trina dimenſione ſimul ſumta. In receſſu intimo templi erant tria fana, medium Jovis, dexterum

terum Minervæ, lævum Junonis. O. I. 38, 6. III. 3, 42. 24, 45. 30, 4. IV. 2, 9. 15, 6.

CAPPADOCIA magna Aſiæ minoris regio Armeniam, Ciliciam, Iſauriam, & Lycaoniam, Paphlagoniam, & Pontum continebat, *L' Artaſia*, *il Genec*, *il Tocat*. Hoc regnum duravit 368 annos ſub 15 Regibus, donec a Tiberio in provinciæ formam reductum eſt. Hi populi ſervitutem, & paupertatem amabant æque atque alii libertatem, & divitias. E. I. 6, 39.

CAPRA una Amalthæa & duo hœdi inter ſidera recenſebantur in brachio ſininiſtro Aurigæ; eorum ortus, & occaſus procellas portendit. Capra oritur 5 Cal. Oct. occidit 5. Cal. Jan. (Colum. lib. 12). Hœdi ſunt duæ parvæ ſtellæ in ſiniſtra Draconis. Oriebantur ætate Columellæ (lib. 12.). 5. Cal. Oct. ſed Plinii (lib. 18) pridie nonas Octob. quum Sol erat in Sagittario. O. III. 1, 28. 7, 6.

CAPUA urbs nobiliſſima Campaniæ, fertilitate agrorum perilluſtris. Diu fuit Romæ æmula, ſe dedidit Annibali, qui eam Italiæ caput ſe conſtiturum teſtatus eſt. Aliqua nunc reſtant rudera in quodam vico. Procul a vetere duobus mill. paſſ. condita eſt nova Capua, quam alluit Vulturnus in regno Neapolitano, ubi erat olim Caſilinum. Diſtat 16 mill. paſſ. Neapoli, 30 Benevento, 144 Roma. O. III. 7, 6. V. 16, 5. S. I. 5, 47. E. I. 11, 11.

CARPATHIUM inſula in mediterraneo in extremo Ægæo, inter Rhodum & Candiam. O. I. 36, 8. IV. 5, 10. S. I. 5, 91.

CARTHAGO potentiſſima urbs Africæ erat Colonia Tyriorum in peninſula Regni Tunetani, exiſtebat ante captam Trojam, rivalis Romæ. hodie eſt congeries ruinarum, everſa fuit anno 608. Ejus arx vocabatur Byrſa, nunc *la torre d' Almenara*. Primum bellum Punicum duravit ab anno 490 uſque ad 513, Secundum a 536 uſque ad 553, Tertium a 605 uſque ad 608. Præterea duæ ſunt in Hiſpaniæ Carthagines, Carthago nova, ſeu Spartaria in regno Muriæ, & Carthago Pœnorum in Catalonia, quæ vocatur *Villa franca de Penades*. O. III. 5, 39. IV, 4, 65. 8, 17. V. 7, 5. 9, 25.

CARINARUM REGIO pulcherrima erat Romæ propter ampliſſimos viros, qui illic morabantur. Patebat inter mon-

tes Eſquilinum, & Cœlium, & parte altera extrema Forum Romanum attingebat. Hinc Virg. lib. 8. v. 36. Æn. ait: *lautis carinis*. E. I. 7, 49.

CASPIUM mare protenditur a Septentrione ad meridiem inter magnam Ruſſiam, Tauricam Cherſoneſum, Perſidem, & Turcarum Aſiaticum imperium. Undique cingitur terris, nec apparet, qua Oceano jungatur. Ejus circuitus eſt 160 leucarum, longitudo 250. Eſt procelloſum, & inconſtans, caret portibus, litora habet minus commoda; ſunt enim partim petricoſa, partim lutulenta. A Majo uſque ad Septembris finem navigari ſolummodo poteſt. O. II. 9, 2.

A. CASCELLIUS eques, optimus juriſconſultus, doctiſſimus, eloquentiſſimus, ingenio vivido, & experrecto, præcipue laudandus, quod ipſe ferme unus ſua libertate frui voluit, dum quiſque ſervitutem ultro ſubibat. Triumviri Lepidus, Antonius, & Octavius nunquam eum compellere potuerunt, ut formulam, quam petebant, ſcriberet, nec prohibere, quin contra eos inſurgeret, eorumque acta improbaret. Amici, qui vitæ ejus timebant, eum ad ſilentium agendum hortabantur; ſed ille reſpondit: ſibi jam ſeni, & filiis orbo nihil metuendum, & turpe eſſe aſſentari. Glorioſum eſt Auguſto, virum tam liberum a Poeta amico impune laudari. E. III. 371.

CASSANDRA Priami filia rapta eſt ab Ajace Oilei filio, in templo Apollinis, iterum ab Agamemnone e manibus Ajacis. O. II. 4, 8.

L. CASSIUS Nomento antiqua urbe oriundus inter Tiberim & Anienem. Conſumſit luxu 5600060 Seſtertiorum minorum. S. I. 1, 102. 8, 11. II. 1, 22. 3, 175. 224. 8, 23. 25. 60.

CASSIUS Parmenſis vocatus Etruſcus, quia Parma erat olim urbs Hetruriæ. Fuit unus eorum, qui in Julium Cæſarem conjurarunt. Poſt prælium Philippenſe Sexti Pompej patres ſecutus eſt, inde Antonii. Poſt prælium Actiacum receſſit Athenas, ubi Varus eum necari juſſit elabente jam anno 723 Octavii juſſu. Reperti ſunt aliquot hujus Caſſii verſus ſeculo 16 in Brutiis. Tam multa ſcripſit, ut ſuis chartis ſive tabulis combuſtus fuerit. Verſificator malus ſcriptorum illuvie rem litterariam fœdavit. Ea irridet Horatius cum vocat *opuſcula*. S. I. 1, 102. 10, 62. E. I. 4, 3.

CA-

CATIA nobilis ſemina, ſed tam impudica, ut, quæ pudor tegere jubet, oſtentaret. Deprehenſa fuit in adulterio cum Valerio Siculo Tribuno Plebis in templo Veneris Theatinæ, prope theatrum Pompej. S. I. 2, 93.

M. PORCIUS CATO Tuſculi in Latio natus, cognomine Catonis propter ſapientiam donatus, quod poſtea ejus familiæ inhæſit. Vocatur *Priſcus*, quia caput fuit familiæ Porciæ; vocatur *Cenſorius*, quia rigidiſſimam Cenſuram geſſit; vocatur *Intonſus*, quia antiqui Romani nec Capillos, nec barbam ſibi radi patiebantur. Ex duabus uxoribus Licinia, & Galonia duos filios habuit, qui familias Liciniorum, & Galoniorum conſtituerunt. O. II. 15, 11.

CATO Uticenſis teſte Plinio repulſam habuit Præturæ, quæ potius Vatinio perdito homini competitori collata fuit. Tantum tamen abfuit, ut ille de injuria queſtus fuerit, ut potius lætitiam oſtenderit. Seneca ait, eum eodem die luſum iviſſe pila. Idem dicebat, malle ſe, ut homines ſcitarentur, cur ſibi poſita non eſſet ſtatua, quam cur poſita fuiſſet. Erat ex familia Galonia oriundus, Cenſoris pronepos. O. III. 2, 17.

CAUCASUS mons editiſſimus, Mingreliam verſus & Georgiam valde extenſus inter mare Euxinum ad Occidentem, & Caſpium ad Orientem, Heniochos, & Ceranicos complectitur. O. I. 23, 7.

CAUPONÆ CLAUDI parva civitas, diſtabant Capua 20 mill. paſſ. in regione Hirpinorum. Hodie *Arpaja in Principatu ulteriori*. S. I. 5, 51.

CECROPS Ægyptius deducta colonia Athenas condidit, regnavitque 803 annis ante U. C. Obiit poſt filium ſuum unicum Eriſictonem. *Cecropia domus* h. e. Reges Athenienſes. Vivebat ille 374 annis ante bellum Trojanum, 782 ante Olympiadas, & 1559 ante æram Chriſtianam. O. IV. 12, 5.

CELSUS ALBINOVANUS vir ab Epiſtolis Tiberii fuit, ut ferunt, idem ac Pedo, ad quem Ovidius ſcribit a Ponto, quique ſcribendam ſuſceperat Theſeidem. Illi tribuuntur duæ Elegiæ, quæ ſub Pedonis Albinovani nomine extant, quarum altera eſt de morte Mæcenatis, altera vero de morte Druſi. Sed fieri poteſt, ut Celſus Albinovanus diverſus fuerit a Pedone, & Pedo Albinovanus ab utroque. Non ſemel enim accidit, ut duo vel tres homines in unum coaluerint, ſicut ex multis Herculibus unus conflatus

flatus eſt. Sic aliquando unus homo in duos vel tres diſtractus eſt. E. I. 3, 15.

CENSORINI duo erant tunc Romæ Pater & Filius. Primus erat L. Marcius, alter vero C. Marcius. Ille fuit Conſul an. 715, hic an. 746. Utri igitur ſcribit Horatius? fortaſſe ſecundo, qui in Aſia obiit an. 755. quem Vellejus ita laudat: „ Obiiſſe Cenſorinum graviter tulit „ Civitas, virum demerendis hominibus genitum. „ lib. 2. c. 102. O. IV. 8, 2.

CENSUS in eo conſiſtebat, ut recenſerentur ſinguli cives a Cenſoribus, & bonorum ſuorum rationem redderent, & morum. hæc vox *cenſus* uſurpata eſt etiam ad ſignificandos reditus. O. II. 15, 13.

CENTAURI & LAPITHÆ erant Theſſaliæ populi, qui Pirithoi nuptiis interfuerunt, & Hippodamiæ. Adeo ſe vino ingurgitarunt, ut ab ebrietate ad furorem concitati convivium cædibus implerent. Ita Mars ultus eſt injuriam a Pirithoo acceptam. Membra partim humana, partim equina habere credebantur. Ab Hercule, Theſeo, & Pirithoo cæſi ſunt. O. I. 19, 8. II. 12, 5. IV. 2, 15. V. 13, 16.

CEOS, vel CEA, vel CIA, inſula, Cycladum una, in qua natus Simonides; dulces verſus hic Poeta ſcripſit, quos Catullus vocat lacrymas Simonidis. O. II. 1, 38.

CEPHEUS Rex Æthiopiæ, aut Phœniciæ aſtris inſertus cum Caſſiope, & Andromeda filia ſua. eſt ſidus 19 ſtellis conſtans in cauda minoris urſæ, & ita ſitum eſt in circulo Arctico, ut ſemper ſuperum locum occupet, excepto capite, & humeris, qui infra *ὁρίζοντα* deſcendere videntur. Horatius procul dubio id indicare voluit his verbis figuratis: *clarus occultum oſtendit ignem*. Columella ait, Cepheum oriri 7 Idus Julias. O. III. 29, 17.

CERERIS ſacra, quæ Eleuſina vocabantur ab Eleuſi civitate Atticæ, manifeſtare piaculum erat. Qui ea pandebat, putabatur devoveri iræ deorum, ejus conſpectus vitabatur, ei negabantur adminicula vel communia. Lucianus hujus arcani fidem tam ſeveram irridet. cujuſcumque naturæ, ait, ſint ritus horum myſteriorum, ridiculum eſt ea celare. Si mali ſunt, palam faciendi aſſent, ut odio haberentur, & procul amandarentur, ſin vero boni, & ſancti, eorum cognitio eſſet utilis. O. III. 2, 26.

CERINTHUS notus apud Tibullum a Sulpitia Servii filia ama-

amabatur efflictim, quamvis rivalem haberet illuſtrem Meſſallam. Erat factus ad unguem, ideoque omnibus Matronis amoris ignem ſuccenderat. S. I. 2, 8.

CERITES occupabant regionem in Hetruria inter centum Cellas, & oſtia Arni. Hi populi civitate Romana donati ſunt, ſed ubi cum Tarquiniis conjurarunt, jure omni ſuffragiorum privati ſunt. Hinc, ut ſignificaretur homo infamis, dicebatur Cerite cera dignus. E. I. 6, 62.

CHARYBDIS & SCYLLA inſignes ſcopuli in Geographia, Mythologia, & morali Philoſophia. Scylla eſt ad latus Calabriæ meridionalis, cui ſi naves impingant, franguntur. Charybdis eſt vorago, quæ abſorbet aquas, & naves in Siciliæ freto, in aditu portus Meſſanenſis. Pro re aleæ pleniſſima accipiuntur. Fabula notiſſima eſt. O. I. 28, 19.

CHIMÆRA caput & pectus leonis habens, corpus Capræ, caudam Draconis evomebat flammas, & a Bellerophonte devicta eſt. O. I. 28, 24. II. 17, 13. IV. 2, 16.

CHIOS inſula in mari Ægæo ad occidentem Anatoliæ inter Mytilenem & Samum. 160 mill. paſſ. ambitus ejus eſt. Magni adhuc æſtimantur vina Chia. O. III. 19, 5. IV. 13, 7. S. I. 10, 24. II. 3, 115. 8, 15. 48. E. I. 11, 1. 21.

CHIRON Centaurus Saturni & Philyræ filius, ſapientiæ, juſtitiæ, & eruditionis fama ſibi multos pellexit diſcipulos, inter quos eminuit Achilles. O. V. 13, 16.

CHŒRILUS malus Poeta vivebat Alexandri ætate, donatus fuit a Rege pecunia multa ob ineptos verſus. E. II. 1, 223. III. 357.

CHRYSIPPUS Zenonis diſcipulus Tarſi in Cilicia natus, ſubtiliter de rebus Philoſophicis diſputabat. Novam ſectam inſtituit, quam amplexus eſt Stertinius. Obiit 73 annos natus. S. II. 3, 127. II. 3, 44. 247. E. I. 2, 4.

CIBYRÆ nomine duæ veniunt urbes Aſiæ minoris. Major Cibyra erat in magna Phrygia ad meridiem Meandri prope fontes Lyci. Corruit terræmotu, Tiberio imperante. Minor Cybira erat in Pamphilia prope Melam flumen contra angulum Occidentalem Cypri. Hæc ex loci opportunitate commune habebat commercium cum Cilicia, Tyro, Cypro. Fortaſſe igitur de hac ſecunda Cibyra loquitur Horatius. E. I. 6, 33.

CICUTA herba caule viridi, & geniculato altior ſæpe

binis cubitis, in cacuminibus ramoſa, foliis coriandri tenuioribus, gravi odoratu, per ſe corpus refrigerans, & mortifera eſt iis, qui ea copioſe utuntur. O. V. 3, 3. S. II. 1, 56. 3, 69. 175. E. II. 2, 53.

CINERES condebantur in urnis, quæ partim erant fictiles, partim lapideæ, partim marmoreæ, partim vitreæ, partim porphyreticæ, partim etiam pretioſiori materia fictæ, aliæ erant rotundæ, aliæ quadratæ, & baſi ſimiles, tecto inſtructæ, & janua vel clauſa, vel ſemiclauſa, & aliquando a Genio mortis occupata. hinc patet, cur apud Poetas, & in inſcriptionibus ſepulchra vocentur *domus æternæ*, & ita fortaſſe illa verba Horatii explicantur, *domus exilis Plutonia*. O. I. 4, 17.

CIRCES duæ fuere, una ſoror & conjux Eætæ Regis Colchi, & Medeæ amita, humaniter excepit Jaſonem, & Argonautas. altera fuit ſoror Eætæ ſecundi, & neptis minor primæ. Hæc ſecunda excepit Ulyſſem, ex quo plures peperit filios, inter quos Telegonum, cui nupſit poſt Ulyſſis mortem. Latinus Rex Italiæ ex hoc ultimo prognatus eſt. O. I. 18, 20.

CIRCUS erat ingens ædificium, figura ovali, inter montem Palatinum, & Aventinum, ubi ludi ſpectabantur. Longus erat 2205 pedibus, & 950 latus. Tres porticus tecto opertas habebat, quarum altera alteri impoſita erat, quibus 150000 hominum non incommode ſubeſſe poterant. Gradus in Amphitheatri formam aſcendentes tripartito dividebantur, nempe in *Oſcheſtria*, *equeſtria* & *popularia*. Hæc immenſa moles varia ſtatuarum, columnarum, & ingentium obeliſcorum multitudine condecorabatur. nunc extant ruinæ. S. I. 6, 113. II. 3, 183.

CLAUDIA gens in duas familias diviſa partim erat Patricia Pulchrorum, partim Plebeja {Marcellorum. In Patricia erant Nerones, inter quos clariſſimus fuit C. Claudius Nero, qui cum conſul eſſet an. 347 cum Livio Salinatore in ſecundo bello Punico Aſdrubalem devicit, & Annibali ſpem eripuit aggrediendi quidpiam egregii facinoris. Nam factus obvius Aſdrubali conflixit, 36000 Pœnorum in caſtris internecione delevit, captivos fecit 1500, & conjici juſſit caput Aſdrubalis interemti in tentoria Annibalis. O. IV. 4, 33. 35.

CLAZOMENÆ urbs erat in Myonneſo ad radices montis Corici, hodie eſt *Vurla* Anatoliæ pagus prope portum Smyr-

Smyrnæ. Erat olim urbs illuſtris. Auguſtus eam inſtaurari juſſerat. S. I. 7, 5.

CLEOPATRA Ægypti regina ambitioſa, & impudica Ptolemæi Auletis filia; ſoror, & uxor ultimi Ptolemæi, a Julio Cæſare primum adamata, cui filium peperit Cæſarionem, deinde ab Antonio uxoris loco habita cum ingenti claſſe in Italiam veluti in certam prædam irrumpere conata eſt. Sed hæc præda, quæ olim ei omnem ſpem, jam repente terrorem injecit. Fugit enim velis remiſque contendens, ut in Ægyptum rediret. Cum videret, ſe minus tutam eſſe in Regno ſuo, ſtatuit Ægyptum alia regione mutare: *reparare*. Sed id nequaquam conſecuta eſt, nec conſequi potuit, quia Arabes, ſuadente Q. Didio Syriæ Prætore, conbuſſerunt naves, & Arabiæ Reges Reginæ perfugium, & ſeceſſum negarunt. Verebatur igitur, ne in Octavii manus laberetur, ideo pugionem ferebat, quo ſe interimeret; & ſane ſibi vitam eripuiſſet, ni cito Proculejus pone tergum adproperans ex ejus manu enſem extorſiſſet. Idcirco illa paulo poſt brachio admovit aſpidem, &, ut ferunt, irritavit fuſo aureo ad morſum, ut furioſiorem redderet, teſte Plutarcho. Obiit 38 annos nata, regnavit 17. Ægypti regnum cum illa finem habuit, poſtquam duravit 294 annos ſub 13 Regibus ex gente Lagæa. O. I. 38, *16*. 24, 27.

CLUSIUM oppidum in Etruria, ubi Rex Porſena ſepultus eſt. Hinc Cluſinus. E. I. 15, *9*.

CNIDUS olim urbs Doridis, regio Cariæ in Aſia minori, in promontorio ſita. Hodie eſt vicus ruderibus obditus in Anatolia. Forte Horatius loquitur de altera urbe Inſulæ Cypri, ubi Venus præſertim excolebantur. Paphus urbs in Cypro. O. II. 5, 20. III. 28, 13.

COACTORIS nomen commune erat multiplici Miniſtrorum ſecundariorum generi, qui publicam pecuniam publicanorum nomine, ac juſſu colligebant. Horatii Pater vendidit ſuam villam, agrumque Venuſinum, & Romam cum filiolo profectus ſibi comparavit munus coactoris exactionum. S. I. *6*, *86*.

M. COCCEJUS NERVA celeber juriſconſultus, Octavii, & Antonii Amicus fuit & conſul an. 718. Appianus hallucinatus eſt, qui prænomen Lucii ei dedit. Fuit avus Coccej Nervæ Imperatoris. S. I. 5, 28.

CODRUS ultimus Athenarum Rex, filius & ſucceſſor Me-

lantis ſe vovit pro Patria in bello contra Doricos. Reſponſum enim acceperant Peloponnenſes, ita demum ſe ſuperaturos hoſtem, ſi regem in prælio minime occidiſſent. Fefellit ergo eos habitu pauperis, eoſque in ſuam necem per jurgia provocando a nemine cognitus fecit fidem Oraculo, vixit 800 annis poſt Inachum. O. III. 19, 2.

COLCHIS vetus hodie *Mingrelia* eſt ultra Pontum Euxinum, inter Cercetiam, Georgiam, & Armeniam minorem. hæc regio eſt venenorum ferax. O. II. 13, 8. 20, 17. IV. 4, 59. V. 5, 24. 16, 58. 17, 35. E. III. 118.

COLOPHON urbs Joniæ, quæ propter mare protendebatur inter Epheſum, & Lebedum ad Heleſſi oſtia in Septentrionali parte ſinus Epheſini. E. I. 11, 3.

COOS inſula inter Calidnas in mari Ægæo, celebris ortu Apellis, & Hippocratis, & murice, quem nautæ expiſcantur circa hanc inſulam, & Niſirum. Erat propter oras Aſiæ minoris inter mare Ægæum & Carpathium ad aditum ſinus Ceramici, qui ſejungebat Cariam a Doride. O. IV. 13, 33. S. I. 2, 10. H. 4, 29. 8, 9.

CORYBANTES ſacerdotes Rheæ Matris Jovis Choreas ducebant, ita ut toto corpore contremiſcerent motu veluti ex nervorum convulſione excitato. Eos vocabant Romani *Gallos*, & eorum ducem *Archigallum*. O. I. 17, 8.

CRANTOR Solenſis, diſcipulus Xenocratis, celeberrimus Academicus. Cicero eum vehementer laudat. Plinius affirmat, Ciceronem illius Philoſophi præceptis uſum fuiſſe, in libris de Conſolatione. ἀπάθειαν illam, quam ſtoici tantopere jactabant, inane commentum eſſe afferebat. E. I. 2, 4.

M. CRASSUS Romanorum omnium ditiſſimus negabat quempiam habendum eſſe divitem, niſi qui exercitum annuo reditu poſſet alere. Cum Pompejo & Cæſare triumvir fuit, cupiditate auri, ut ferunt, Parthicam expeditionem ſuſcepit. Sed ejus exercitus fraude cujuſdam Auguri Oſroeni in inſidias cecidit, & a Moneſe Surena Parthorum ſub Orode Rege trucidatus eſt, dum tranſgreſſo Euphrate ſeleuciam petebat. Surena enim ſimulans ſe cum Craſſo velle colloqui eum capi jubet, & occidi. Reliquias Legionum C. Caſſius Longinus, qui poſthac unus Conjuratorum fuit, quæſtor ſervavit, Syriamque adeo in Populi R. poteſtate retinuit, ut Parthos hinc omnes fugaret

garet ac funderet. Orodes invidens gloriæ, quam Moneſes ſibi ex victoria de Craſſo relata adeptus erat, non ita multo poſt eum letho dedit. Pacorus filius natu minor Regis licet puer exercitui Parthorum poſtea præfuit, ivitque Syriam depopulatum ductore tamen Oſace anno 701. O. III. 5, 5.

CRATERUS teſte Cicerone, & Perſio erat inſignis Medicus. S. II. 3, *161*.

CRATINUS Athenienſis Poeta comicus, primus in Dionyſiis Athenis Satyricam fabulam induxit. Virorum Principum famam præcipue audacter lacerabat. ex 21 comœdiis, quas ediderat, pauci tantummodo verſus reliqui ſunt; ſupra modum gulæ, atque omni generi voluptatum deditus fuit, præſertim ebrietati, quod vitium innuit Horatius in Epiſt. *Priſco ſi credis* &c. Obiit ineunte bello Peloponneſiaco 100 & amplius annos natus, aut 97, ut aliqui volunt, 430 ante æram Chriſtianam. S. I. 4, 1. E. I. 19, 1.

L. PLOTIUS CRISPINUS Philoſophus Stoicus, malus Poeta, & garrulus homo, vocabatur a Poeta *lippus* non ob oculorum, ſed ob mentis cœcitatem, vel ob nimiam curioſitatem, & garrulitatem. hinc proverbium: *notum eſt lippis, & tonſoribus*. Alibi vocatur ineptus. S. I. 1, 120. 3, 139. 4, 14. II. 7, 45.

CUCULUS avis rapax Accipitri ſimilis, corpore Niſum refert; in aliarum avium nidis ova parit, quibus curam ea fovendi relinquit. Inde Latini Cuculum vocant adulterum, quod ſcilicet ex alienis uxoribus liberos gignat; & eum etiam, qui per alios geri rem patitur, quam ipſemet gerere deberet. S. I. 7, 31.

CUMÆ urbs ad ſeptentrionem Bajarum mari Tyrrheno imminet, juxta Puteolos. Ex Chalcide inſulæ Eubææ civitate coloni profecti ad quærendas ſedes non longe a Bajis invenerunt vacuum litus, ubi viſa muliere gravida (quod illi fœcunditatis augurium interpretabantur) urbem condiderunt, quam Cumas appellarunt, ſive ἀπὸ τῆς κύοντος a prægnante, ſive ab undis, quas κύματα Græci appellant. E. I. 15, 11.

CUMINUM herba notiſſima, fœniculo non diſſimilis, vino miſta, & epota, vel confricata corpori pallorem inducit. Vide Dioſc. lib. 3. c. *16*. Plinius quoque idem aſſerit. E. I. 19, 18.

CUPIENNIUS LIBO Cumæus, vir aulicus Auguſti, fortaſſe ille eſt, cui Cicero ſcribit 20 Epiſt. lib. 2. ad Atticum. S. I. 2, 36.

CUPRESSUS arbor funebris. Foribus ædium, ubi quiſpiam obierit, ſuſpendebatur ramus cupreſſinus, ut indicio eſſet Pontifici, ne illuc ingrederetur; aliter pollutus credebatur. O. I. 10, 11. II. 14, 23. IV. 6, 10. V. 5, 18. E. III. 19. 332.

MANIUS vel MARCUS CURIUS DENTATUS virtute bellica & frugalitate clarus tempore Pyrrhi vixit. Tonſores ex Sicilia in Italiam venere anno 414. Curius eos neglexit, eorumque artem, quæ fovendæ mollitiei videbatur accommodata. De eo ait Cicero in Catone Majore: „ Ergo in hac vita M. Curius, cum de Samnitibus, „ de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumſit extremum tempus ætatis. Cujus quidem villam ego contemplatus (abeſt enim non longe a me) admirari „ ſatis non poſſum vel ipſius hominis continentiam, vel „ temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati „ ab eo ſunt, non enim, aurum habere, præclarum ſibi „ videri dixit, ſed eis, qui haberent aurum, imperare. „ O. I. 13, 41. E. I. 1, 63.

CYCLADES inſulæ cinctæ ſunt ingentibus, iiſdemque altis cautibus, qui eminus cernuntur propter candorem. Arenæ ſaxorumque vis magna his inſulis interjecta aditum navibus intercludit. O. I. 15, 20. III. 28, 14.

CYCLII Poetæ (vide Mantiſ. *de Poemate Cyclio*) E. III. 136.

CYCLOPES Siciliæ populi erant, quibus utebatur Vulcanus in officina. Tres nominat Virgilius Brontem, Steropem & Pyracmona. O. I. 4, 7. S. I. 5, 63. E. II. 2, 125. III. 145.

CYDON antiqua hodie CANEA urbs & portus Cretæ in ora Boreali. O. IV. 9, 17.

CYGNI cantant in ea regione, ubi Phœnix avis renaſcitur, & ubi oculus Baſiliſci lethifer eſt. omnia nugæ. O. IV. 3, 20.

CYPRUS inſula in mediterraneo e conſpectu Anatoliæ ad Boream, & Syriæ ad ortum. Cyprii diditi erant mercaturæ faciendæ. O. I. 1, 13. 3, 1. 20, 10. 31, 2. III. 26, 9. 29, 60.

CY-

CYTHEREA dicta ab inſula Cytheræ in mediterraneo inter Peloponneſum & Candiam. Feſta Veneris incipiebant ineunte Aprili. Puellæ tres integras noctes vigilando tranſigebant, in multas turmas diſtribuebantur, quarum quæque pluribus choris conſtabat. Tempus omne in Choreis ducendis, & Hymnis canendis in Deæ laudem inſumebatur. Incipiebant oriente luna, & occidente ſole. O. I. 4, 5. III. 12, 4.

D

DACI illam regionem incolebant, quæ hodie continet Tranſylvaniam, Valachiam, & Muldaviam. An. 723 militarunt in exercitu Antonii. In eos miſſus eſt anno poſtero M. Craſſus. O. I. *36*, *9*. II. 20, 18. III. *6*, 14. 8, 18. S. II. *6*, 53.

J. DAMASIPPUS ſenator idem eſt, de quo verba facit Cicero in Epiſt. ad M. Fabium Gallum lib. *7*. & lib. 2. in Epiſt. ad Att. S. II. 3, *16*. *64*. *65*. 324.

DANAUS filius Pelei Frater Ægypti, rex Argorum ex multis uxoribus 50 filias habuit, quas matrimonio conjunxit totidem filiis Ægypti fratris ſui. Ne proles ulla naſceretur jurejurando Filias obligavit, ſe prima nocte nuptiali occiſuras maritos. Omnes paterna mandata faceſſerunt, excepta Hypermneſtra, quæ Lynceo, ſeu Lino pepercit. Hæ apud inferos doliis pertuſis aquam infundunt, ut fabulæ ferunt. Lynceus vixit 240 annis ante captam Trojam, *649* ante Olympiadas, 14*26* ante æram Chriſtianam. O. II. 14, 18. III. *11*, 23.

DAUNUS exul cum Illyrium coactus fuiſſet deſerere, appulit ad illam Apuliæ partem, cui nomen ſuum ipſe Rex dedit. O I. 23. 14, II. 1, 34. 30, 11. IV. *6*, 27. 14, *26*.

DEIPHOBUS Priami filius, & tertius Helenæ maritus fuit. Illa perfida a Menelao veniam impetravit tradito in ejus manus Deiphobo, quem multis afflictatum ſuppliciis ille tandem necavit. O. IV. *9*, 22.

DELLIUS hiſtoricus ingenio inconſtanti poſt mortem J. Cæſaris quater mutavit ſtudia partium 12 annorum ſpatio. Se dedit Dolabellæ, deinde Caſſio, tum Antonio, demum Octavio, aut potius nemini, quam ſibi ipſi; nempe ſuæ fortunæ proſpexit, & utilitati. Pax, quæ bellis

civilibus ſucceſſit, viam ſibi munivit ad reparandas res familiares, quæ levitatis cauſa male dilapſæ ſunt. Hic eſt hiſtoricus ille Dellius, de quo Plutarchus verba facit, & quem Meſſala vocare ſolebat *deſultorem bellorum civilium*, metaphora ſumta ab equitibus iis, qui duos equos nudos præ manibus habebant, eoſque identidem per vices mutabant, ex feſſo in recentem equum tranſultantes. Dixit olim Dellius in convivio, amicos M. Antonii bibere acetum Athenis; & Sarmentum Octavii ſcurram potare Phalernum Romæ. quia ſcilicet amici Antonii recta ac vera monentes a Cleopatra vexabantur. O. II. 3, 4.

DELOS inſula, ubi natus Apollo. Diana nata eſt in Ortygia. O. I. 22, 10. III. 4, 64. IV. 3, 6.

DELPHOS hodie *Salona nella Livadia*, urbs antiqua Phocidis ad radices Parnaſſi, qui eam protegit ad Boream. hodie eſt ruderum ſtrues, ubi jacet exiguus vicus. O. I. 7, 3. III. 30, 15. E. III. 219.

DEMOCRITUS Philoſophus Abderæ natus accepta a fratribus portione, cognoſcendarum rerum cupiditate accenſus bonam orbis partem peragravit, poſtea in patriam reverſus, cum ſumma inopia in hortulo juxta ſuæ urbis muros ſeſe ad ſolas rerum naturas perſcrutandas contulit. Hic quocumque fortunæ caſu, & mutabilium rerum audito in riſum ſolvebatur; ut Heraclitus in fletum. Unde Gelaſinus nuncupatus eſt. Tandem ſibi oculos effodit, ut ſecreta naturæ ſubtilius rimaretur. Agebat 109 annum cum emortuus eſt. Dixit omnia ex atomis fieri, ac plures eſſe mundos, eoſdemque corruptibiles. Teſte Diogene Laertio duo opera edidit, quorum alterum de Poeſi, alterum de verſuum concinnitate agebat. Plato quoque & Ariſtoteles dixit Poetam aut ingenio præſtanti eſſe debere, aut furioſum. Furoris nomine venit vivida, fœcunda, & ardens φαντασία, non tamen exlex. Democritus dicebat, Poeſim artem eſſe miſeram, ut ſignificaret, improbo labore acquirendam eſſe, & rem eſſe exigui momenti, ſi ſola ſit, &, cum ſanos Poetas procul amandabat, eos denotabat, qui triſtes natura eſſent, & cogitabundi, & propterea τῆς φαντασίας igniculis deſtituti. E. I. 12, 12. II. 1, 194. III. 297.

DIANÆ feſtum celebrabatur menſe Februario, Martio, Aprili, & Auguſto. Deæ laudes canebantur a puellarum choris, Matronis ducibus O. I. 22, 1. O. II. 12, 20. III. 4,

4, 71. IV. 7, 25. V. 5, 51. 19. 17, 3. 19, 1. 70. 75. E. III. 16, 453.

DIES NEFASTUS erat ille, quo non licebat jus fari, per quem nefas fari Prætorem, *do*, *dico*, *addico*. Erat dies ſecundus a Calendis, a Nonis, ab Idibus. Superſtitio addidit dies nigros, quia aliqua calamitate publica notati. Cumque illi dies eſſent in numero eorum, qui vocabautur nefaſti, hoc nomen adhibitum eſt ad ſignificandos dies infelices. O. I. 36, 35. II. 13, 1.

DINDYMENE, IDA, BERECYNTHUS montes in Phrygia ſacri Deæ Cybeli. O. I. 17, 7.

DIOGENES Sinope natus in Ponto filius fuit argentarii Iceſti, receſſit Athenas, diſcipulus fuit Antiſthenis Principis Cynicorum. Sectæ infamiæ notam inuſſit ſcurrilitate ſua, faſtu, & impudentia. Plato eum vocabat Socratem amentem. (vide ſuperius *Antiſthenes*) Obiit Corinthi nonagenarius anno, quo Alexander occubuit, 430. E. I. 17, 13.

DIOMEDES rex Æoliæ, Tydei, & Deiphiles filius cum Græcis ad bellum Trojanum profectus eſt, ubi ſtrenue ſe geſſit. In Patriam confecto bello reverſus ab Egiale conjuge ſua & Colabaro mutuo, impuroque amore flagrantibus fugam capeſſere coactus eſt cum ſociis. In Apuliam conceſſit apud Regem Daunum, ibique Arpos condidit. S. I. 7, 16. E. III. 146.

DOSSENNUS illuſtris Poeta Comicus Romæ floruit. Ejus opera deperdita ſunt. E. II. 1, 173.

DRUSUS erat filius Claudii Tiberii Nervæ, & Liviæ Druſillæ, quæ eum utero gerebat, quum nupſit Auguſto. Primus devicit Vindelicos. Tiberius, qui penes Auguſtum erat, miſſus fuit, ut fratri ſuo opem ferret, & ſane aggreſſus eſt Rhetos, qui Galliam devaſtabant. Tunc Druſus perrexit repellere Vindelicos, irruit in Germanos, & Brennos, & ambo ſibi invicem opitulati barbaros populos trucidaruut an. 739. Vellejus rem narrat alio modo: ait Druſum miſſum fuiſſe ſecundum ad hoc bellum, cujus victoriam Tiberio adſcribit. Sed non ſine cauſa hæc dicit Hiſtoricus. Druſus enim obierat, Tiberius autem Imperator erat, cum ea Vellejus ſcribebat. adulatio in veritatis locum ſubrepſit. Verum Horatius, qui eodem, quo hæc acciderant, tempore vivebat, locupletiſſimus teſtis eſt. Anno 733 cepit & diruit arces, quas Norici Alpibus

 impo-

impoſuerant. In Germania plurimas res præclare geſtas edidit ab anno 742, 4 annorum ſpatio. Pluries trajecit Rhenum, & Viſurgim, & proceſſit uſque ad Albim anno 745 victis Sicambris, Uſipetis, Friſiis, Cheruſcis, & Catis, annis 742, 743, 744. Rhenum & Iſalam conjunxit interjecta foſſa dicta Druſiana, quæ adhuc extat. Aggeribus munire cœpit ripas Rheni, quod opus 63 annis poſt abſolvit Paulinus Pompejus. Conſulatum accepit anno 745 cum eſſet adhuc in iis regionibus. Florus ait de Druſo: „ præſidia ubique diſpoſuit per Moſam flumen: per Al- „ bim, per Viſurgim & per Rheni quidem ripam 50 amplius caſtella direxit. „ Florus conjungit res geſtas Druſi 3 vel 4 annorum ſpatio. Quod non vidit Dacierius, qui putat Epiſt. 1. lib. 2 ſcriptam fuiſſe anno 743. Lapſus equo ipſe crus fregit, & per 30 dies acerbiſſimis doloribus cruciatus obiit anno 745 in oris Luppiæ in Veſtphalia. O. IV. 4, 18. 14, 10. 13. 17. E. II. 1, 252.

E

ECHO Nympha campeſtris, quæ cum ſæpe ſua garrulitate intentam detinuiſſet Junonem, ut Jovis amoribus obſequeretur, demum a Dea punita eſt, facultate ſibi relicta repetendi tantum ultima verba. O. I. 21, *6*.

EDONI Thraciæ populi inter montem Pangæum, & ſinum Strimonium, deinde in Macedonia ſedem poſuere ad Orientem. O. II. 7, 27.

EMPEDOCLES Philoſophus Agrigentinus, quem neſcias utrum inter Poetas an Philoſophos annumeres, quippe qui rerum naturam tribus libris, quos citat Ariſtoteles, elegantiſſimo carmine explicavit. Fuit diſcipulus Telaugis filii Pythagoræ, filius Metonis, vel Archinomi. Principia duo poſuit nempe συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν. prima voce ſignificabat mutuam quamdam rerum inter ſe cognationem, altera vero naturalem rerum differentiam, repugnantiam, & diſcordiam, ut inter aquam & ignem. Ajunt ſimultates pertinaciſſime exercuiſſe. Vixit Olymp. 80, 450 annis ante J. C. N. Timæus ait eum in Peloponneſo obiiſſe. E. I. 12, 20. III. 464.

ENNIUS vetus Poeta latinus natus eſt Rudiis in Calabria veteri, nempe in Apulia Peucetia anno 515. Ruinæ hujus urbis ſunt hodie circa Hydruntum. Erat ingenio me-

magno, & ſublimi, ſed arte carebat. Tragœdias, Comœdias, & 18 libros annalium Reip. Rom. ſcripſit, quorum extant ſolummodo aliqua fragmenta. vixit familiariter cum ſuperiore Scipione Africano. Obiit anno 584, 70 annos natus. S. I. 10, 54. E. I. 19, 17. II. 1, 50. III. 56. 259.

EPHESUS urbs Aſiæ minoris in Jonia, nunc eſt infelix pagus in oris. Ægæi maris. O. I. 7, 2.

EPICHARMUS Poeta, Philoſophus, & diſcipulus Pythagoræ natus Syracuſis aut Croſti in Sicilia florebat anno 300. Cicero ſæpe eum laudat, & citat. Scripſit de natura rerum, & de medicina præter plures Comœdias. E. II. 1, 58.

EQUOTUTIUM Hirpinorum oppidum in *Principatu ulteriori* in colle ad radices Apennini montis; & 12 mill. paſſ. diſtans Benevento in ortum, vocatur *Ariano*. *Celſus Cittadino* ait eſſe Oppidum nomine *Foggia* Apuliæ Dauniæ inter Lucaniam ad meridiem, & Sipontum ad boream 18 mill. paſſ. Arpis urbi excifæ proximum. S. I. 5, 87.

ERIPHYLE uxor Amphiarai indicavit Adraſto fratri ſuo locum, ubi maritus deliteſcebat, ne pugnatum iret apud Thebas, unde ſciebat, ſe non amplius rediturum. Ille tandem abiit obſeſſum urbem & periit. Illa vero proditionis mercedem monile unionibus diſtinctum accepit. Alcmeo ejus filius ultus eſt Patris necem, matrem interimens, & deinceps ab avunculis interfectus eſt, qui de ſororis morte ultionem ſuſcipere voluerunt. Amphilochus ejus frater periit ante Thebas. O. III. 16, 12.

ESQUILINUS clivus coopertus erat oſſibus. Ibi necabantur ii, qui morte damnabantur judicum ſententia. Eorum oſſa in foveas, quæ dicebantur *patibula*, conjiciebantur. Longus eſt valde, & latus, plura habet culmina, in duas partes præſertim ſcinditur, quæ ſunt *l' Oppio e il Caſpio*. Mæcenas magnificam domum & Hortos hic conſtrui juſſit. O. V. 5, 100. 18, 6. S. I. 8, 14. II. 6, 33.

EUMENES rex Pergami duos Filios habuit Attalum Philometorem, & Ariſtonicum, legitimum primum, alterum vero nothum. Attalus frater Eumenis regno ſucceſſit, & filiis orbus interiit, & ex teſtamento regnum reliquit Attalo Philometori natu majori fratris filio, ad quem pertinebat imperium jure ſanguinis. Ariſtonicus regnum

gnum occupavit. Romani, ut fas erat, pro Attalo ſteterunt. In prælio Ariſtonicus Licinium Craſſum ſuperavit. Sed exercitus Rom. Nicomedis auxiliis fretus, nec non Ariaratis, & Philemenis, & Mitridatis, copias Ariſtonici in variis certaminibus cecidit duce Perpenna, anno 624. Ariſtonius captus Romam ductus eſt in triumphum, & inde in carcere jugulatus juſſu Patrum. hic eſt *ignotus heres*, de quo loquitur Horatius, O. II. 18, 5.

EUPOLIS ex Archæa. de hoc ait M. Tullius ep. ad Att. lib. 2. „ Quis non dixit ab Alcibiade navigante in „ Siciliam dejectum eſſe in mare? „ De ejus morte hoc idem ſenſit Plato, quam illi illatam aſſerit ab iis, quos ipſe verſibus ſugillaverat. Fuit priſcæ Comœdiæ ſcriptor in reprehendendis hominum vitiis liberrimus, ſcripſit Comœdias 17, ex quibus 9 victoriam meruerunt. Alii dicunt eum periiſſe in prælio navali inter Lacedæmonios, & Athenienſes commiſſo. Cujus mors quantum Civitati luctum attulerit, illud unum documento eſſe poteſt, quod publico edicto cautum eſt, ne poetis in poſterum militare liceret. S. I. 4, 1. II. 3. 12.

EURIPIDES Philoſophiæ ſtudiis deditus, Anaxagoræ diſcipulus Dramata ſua excellentibus doctrinis, ſententiiſque replevit. Illi novas Tragœdias meditanti opem ferebat Socrates. Dulcis eſt, maxime movet legentium animos, licet vi & nobilitate ſententiarum inferior Sophocle. S. II. 3, 199.

EUROPA filia Agenoris Regis Phœniciæ, & ſoror Cadmi. Herodotus ait, Cretenſes cum valde celebrari audiviſſent hujus Principis puellæ formam, eam rapuiſſe, ut nuptum darent ſuo Regi, & in Cretam duxiſſe navi vocata Tauro, quæ ferebat puppi figuram hujus belluæ. O. III. 3, 47. 27, 25. 57. IV. 6, 10.

EUTRAPELUS putabat divitiis conjunctam eſſe amentiam. Ille ut pauperis cujuſpiam mentem a priſtina ſede dimoveret, ob ejus oculos ponebat inopinatum proſperæ fortunæ veluti radium, quo perſtringeretur. v. g. ei donabat veſtem locupletem, annulum, & alia hujuſmodi. Cicero loquitur de Volumnio Eutrapelo duabus poſtremis Epiſt. lib. 1. Hoc nomen ei inditum fuit, quia erat ingenio hilari, & lepido E. I. 18, 31.

F

FABIUS Narbonenſis victo Pompejo, cui ſtuduerat, Philoſophiæ Stoicæ animum adplicuit, & aliquot libros doctrinis Stoicis refertos ſumma cum garrulitate, exaravit. Fuit alter Fabius juriſconſultus, (ut ferunt) qui in adulterio deprehenſus eſt. S. I. 1, 44. 2, 134.

C. FABRICIUS LUSCINIUS virtute bellica, & frugalitate illuſtris ætate Pyrrhi vixit. Summam vim auri, quam ſibi Pyrrhus obtulerat, repudiavit. O. I. 13, 40.

Per FABRICIUM PONTEM petituri Janiculum relicta Roma ingrediebantur inſulam Tiberinam, & hinc egrediebantur per pontem Ceſtium. Primus vocatur *ponte di quattro Capi* cauſa ſtatuæ 4 capita habentis. Secundus *Ponte di S. Bortolommeo*. S. II. 3, 36.

FANNIUS cognomine Quadratus, & conſanguineus, ut aliqui volunt, Fannii cujuſdam, qui fuit gener Caji Lucilii, & idem, de quo ſermo eſt in Satyra: *Nempe incompoſito*. Homo ridicula vanitate ductus opera ſua in lucem edidit, & exhibuit ipſemet arbitris gloriæ. S. I. 4, 21. 10. 8.

FAUNUS teſte Dionyſio Halicarn. fuit filius Martis, & rex Aborigenum in Italia, vivebat ante captam Trojam 476 annis, 484 ante Olympiadas, 1261 ante Æram Chriſtianam. Regnavit annos 44. Feſta Fauni celebrabantur 3 idus, & idibus Januarii, & 15 Cal. Feb. in inſula Tiberina. Quandoquidem tunc e ſtabulis grex educebatur, ubi hiemaverat, ita ſacra fiebant illi Deo, ut tuendo gregi operam daret. O. I. 4, 11. 18, 2. II. 17, 28. III. 18, 1. E. III. 244.

FAUSTA filia Syllæ dictatoris, conjux T. Annii Milonis, impudiciſſima femina inter ſuos amaſios præter Villium, & Longarenum habebat Pompejum Maculam, & Fulvium Fullonem. Ejus frater Fauſtus, quem poſtea necari juſſit Cæſar, ludens olim ambiguo ſenſu duarum vocum; *Fullo*, & *Macula*: „ Miror, (inquit) ſororem „ meam habere Maculam, cum Fullonem habeat. „ Villius vana hac gloriola ducebatur, nempe, ſe fore veluti generum Syllæ, ſi cum Fauſta cubaret, vel tanquam ex omine fauſto ſperabat ſe ea potiturum. Longarenus ejuſdem amaſius erat humili genere natus, unus e vulgo.

Qua-

Quare magis reprehendendus Villius, qui ſe adamare mulierem gloriabatur, quæ vappæ homini ſe comprimendam daret. S. I. 2, 64. 67.

FERENTINUM teſte Dacierio erat vicus Latii in regione Hernicorum inter Anagniam, & Fruſinonem. Sed falſo. Nam Plinius c. 8. l. 3 Ferentinum aſſerit eſſe Hetruriæ urbem. Idem dicunt Suetonius, & Aurelius Victor. Hæc urbs Hetruriæ remota erat a via publica, & ab hominum conventu, cum contra urbs Latii eſſet in via Labicana jam populoſa. ita Sanado. E. I. 17, 8.

FERONIA erat Dea apud Romanos, genuit Herilum Præneſtis regem. Templum habuit in campis Pomœtinis 24 mill. paſſ. diſtans a foro Appio. Lambinus & Dacierius injuria transferunt in Latium urbem Feroniam, quæ erat in regione Faliſcorum. Recentes etiam Geographi errant, qui ſtatuunt Feroniam inter Anxur, & Fundos, dum ex Horatio colligitur, Anxur medium eſſe inter Feroniam, & Fundos. Nulla igitur erat urbs Feronia. Eo loci erant fortaſſe aliquot domus, in quibus Sacerdotes habitarent, & Cauponæ, quæ viatores exciperent. ita Sanado. S. I. 5, 24.

FIDENÆ urbs Latii inter Cruſtumeriam, & Antemnam 2500 circiter paſſ. ſupra oſtia Anienis. E. I. 11, 8.

FISTULA conſtabat ſeptem tubulis arundineis aptiſſime diſpoſitis, & conglutinatis, ejuſdem craſſitudinis, ſed diverſæ longitudinis ob tonorum varietatem. O. I. 18, 10. III. 19, 20. IV. 1, 24. 11, 10.

FLAVIUS Venuſii pueros docebat, legere ſcripta, exarare chartas, & computare nummos. Multi pueri honeſto loco nati ejus Scholam frequentabant. S. I. 6, 72.

JULIUS FLORUS erat fortaſſe ex aliqua earum familiarum, quibus Julius Cæſar cum civitatis jus impertitus fuit, tum nominis quoque ſui ferendi dedit. Romæ enim Julia gens una erat, ex qua unus Auguſtus exiſtebat. Fortaſſe hiç Florus erat natione Gallus. Tacitus loquitur de tribus Juliis inter ceteros, qui Tiberii tempore erant apud Belgas, quorum unus vocabatur Julius Florus. Forte fuit ex familia Aquilia filius illius Aquilii, qui poſt cladem Antonii ab Auguſto morte multatus eſt. Fuit certe quidam L. Aquilius Florus Triumvir monetalis anno 729. Fortaſſe pro *Luci* exſcriptum fuit *Juli* ab amanuenſibus. Florus anno 731 ducem Tiberium in Dalma-

matiam euntem ſequebatur, ille Princeps Orientis provincias inviſere, ac regere ſequentibus annis perrexit, donec copias ſuas conducere juſſus eſt in Armeniam an. 734, dum Auguſtus irruere in Parthos parabat per Syriam. E. I. 3, 1. II. 2, 1.

FORMIA olim Læſtrigon vocata in agro Laurenti prope Cajetam, hodie *Mola*. In ea natus eſt Mamurra eques Rom; & Præfectus Fabrorum C. Jul. Cæſaris in Gallia; ſuis rapinis, luxu, & impudicitiis inſignis. Is primus Rom. parietes domus ſuæ in Cœlio monte marmore incruſtavit, nullamque in ædibus Columnam habuit, niſi marmoream, omneſque ſolidas e Caryſtio, aut Lunenſi. Catullus eum vocat *decoctorem Formianum*. Domum habebat Formiis, ſicut Capito. Hæc urbs diſtat Fundis 13 mill. paſſ. O. I. 12, 11. III. 17, 2. S. I. 5. 37.

FORNICES dicebantur loca infamia, quia impudicæ feminæ fere ſub Circi fornicibus ſe toto corpore proſtituebant. S. I. 2, 30. 31. E. I. 14, 21.

FORUM APPII erat pagus Latii in regione Volſcorum, 45 mill. paſſ. diſtabat ab Urbe ad paludem Pontinam. Appius Conſul tranſverſum duxit aggerem in hac palude; & Auguſtus canalem excavari juſſit a Foro Appio uſque ad templum Feroniæ. „ Prope Terracinam „ (ait Strabo) qua Roma itur, propter viam Appiam „ foſſa longa ducta eſt, quæ paluſtribus, fluvialibuſque „ impletur aquis. „ Quæ addit, prorſus congruunt iis, „ quæ inquit Horatius: „ Ea noctu maxime navigatur, „ ut qui navim Veſpere intrant, mane egreſſi Appia via „ pergant. „ S. I. 5, 3.

FUFIUS actor tragicus cum ebrius perſonam ageret Ilionæ dormientis, vero ſomno ita ſepultus eſt, ut Catienum, qui Polydorum agebat in ſcena clamitantem una cum ſpectatoribus voce magna, *mater te adpello*, nunquam audiret. Catienus, ſive Polidorus vocabat Ilionam, quæ erat ejus ſoror, matrem, eadem de cauſa, qua vocabat Polymneſtorem Patrem. (vide infra *Iliona*) S. II. 3, 60.

FUNDANIUS floruit Auguſti ætate. Fortaſſe fuit hic Poeta comicus, quem laudat Horatius. Ex hac familia fuit quidam Fundanius conſul anno 510. S. I. 10, 42. II. 8, 19.

FUNDI urbs municipalis Latii prope Fundanum lacum,

cum, vel ſinum, 20 mill. paſſ. diſtabat Anxure. videtur Fundana fuiſſe Aufidia domus. In plures familias diviſa eſt. Ex iis, quæ Romæ ſedem poſuere, recenſebantur celebres juriſconſulti, & Prætores. Livia Auguſti uxor cujuſdam Aufidiæ filia erat. Non ſatis compertum eſt, utrum Aufidius Luſcus vices geſſerit Prætoris Rom., an munus accepiſſet ab urbe Fundana, cujus eſſet Prætor. Hic magiſtratus riſum movit ſpectantibus inſignia ſua oſtentans. ſemper induebat prætextam, & laticlaviam tunicam, perinde ac ſi Tribunali ſedens ſuo officio fungeretur. Quempiam præterea ſibi præire jubebat, qui batillum ferret, ubi cremarentur odorifera aromata. Hic honor Imperatoribus Rom. debebatur. S. I. 5, 34.

M. FURIUS BIBACULUS corpore & ſtilo pinguis aliquot ejus jambos citat Macrob. lib. 6. Sat. 11. Euſebius in Chron. ſcribit eum una cum Cicerone vixiſſe, & Cremonenſem fuiſſe. cognomen *Alpinus* ſignificat, hominem natum fuiſſe prope Alpes, vel innuit verſum ejuſdem Furii *Jupiter hibernas* &c. S. I. 10, 36. II. 5, 41.

FUSCUS ARISTIUS, illuſtris Grammaticus, Poeta, & Rhetor. Bonus ejus animus potius, quam ingenium & doctrina in cauſa fuit, cur familiariter cum Horatio viveret. veteres interpretes Horatii ajunt, eum fuiſſe Comœdiarum, & Tragœdiarum ſcriptorem. erat amator urbani domicilii. Lalagen in oculis ferebat, uxoremque ducere volebat. O. I. 23, 4. S. I. 9, 61. 10, 83. II. 8, 14. E. I. 10, 1.

G

GABII urbs olim in Latio. E. I. 11, 7. 15, 9. II. 1, 25. 2, 3.

GABINI cum olim ab hoſte deprehenſi fuiſſent, dum ſacra faciebant, nec integrum iis eſſet veſtes deponere, quæ ſibi erant magno impedimento, quominus certamen inirent, earum laciniis veluti cingulis ſubito humeros pectuſque circumdederunt. Hæc nova ferendæ veſtis ratio belli vocata eſt *cinctus Gabinus*: eaque Conſules, & Prætores utebantur, magiſtratum gerentes. Antiquam vocem *cinctutus* adhibet Poeta ad ſignificandam Cethegorum antiquitatem. E. III. 50.

GADES inſula Hiſpaniæ in freto Gibaltrariæ prope oras Andaluſiæ. O. II. 2, 11. 6, 1.

GA-

GALESUS fluvius exiguus in agro Hydruntino prope *Caſtellanetam*, influit in ſinum Tarentinum. O. II. 6, 10. 11.

GALLI AQITANI rebellarunt anno 726. Octavius miſit in eos Meſſalam illius Provinciæ Prætorem, qui eos ad officium redegit anno ſequenti, & 7 Cal. Oct. natali ſuo triumphavit. Tibullus, qui eo duce ſtrenue meruit in hoc bello, hanc Victoriam cecinit in Elegia: *Hunc cecinere diem* &c. Faſti Capitolini, & Appianus hujus rei mentionem faciunt. S. II. 1, 14.

ÆLIUS GALLUS extremis anni 727 menſibus Roma diſceſſit cum exercitu, ut Cornelio Gallo ſuccederet Ægypti gubernandæ cauſa, & Arabas debellaret. Naves alias conſtrui juſſit in portubus maris Rubri anno 728, & copias duxit uſque Syenem Ægyptiam jubente Auguſto, fortaſſe, ut præſto eſſet Petronio, qui in Æthiopiam profectus erat. In illa itinere exercuit copias, & roboravit, eaſque demum alacres, & expeditas navibus impoſuit, anno ſcilicet 729. O. I. 36, 31.

GARGANUS mons in regno Neapolitano in Apulia Daunia prope Manfredoniam. O. II. 9, 7. E. II. 1, 202.

GELONI populi inter Scythas & Sarmatas pro alterutra gente accipiuntur a Poetis, ab Horatio pro utraque. Anno 734 Lentulus repulit Dacos, & Sarmatas, & Auguſtus metas iis poſuit, quas nunquam poſthac præterirent. Antea enim auſi fuerant regionem Parthorum & Armeniam ferro, & incendiis vaſtare. Geloni ſunt hodie populi Lithuaniæ. O. II. 9, 23. 20, 19. III. 4, 35.

GENAUNI teſte Strabone populi crudeles incolebant exteriorem Alpium partem cum Noricis, & Vindelicis. Habitant nunc in valle Anaunienſi inter Larium & Atheſim. O. IV. 14, 10.

GERIO filius Chryſaoris, & Calliroes, Hiſpaniarum rex, cui Poetæ tria corpora dederunt ab umbilico uſque ad capitis verticem, quia imperavit tribus inſulis Balearibus, aut quia tres filios habuit ejuſdem nominis, qui una regnarunt. Occiſus fuit ab Hercule. O. II. 14, 8.

GERMANIA Celtarum regio vaſtior erat, quam recens. patebat illa inter Viſtulam, Dannubium, Rhenum, & Oceanum borealem. Sæpe Romani cum iis populis vehementer dimicarunt, præſertim contra Cimbros & Teutonas, Marii ætate, qui eos ſuperavit, & 300000 tru-

trucidavit. Vocat eos *cæruleos* Horatius, quia oculos cæruleos habebant teſte Tacito, & Martiale. vel quia vultum tali colore tingebant pugnam inituri; vel cauſa Oceani, qui irrigabat magnam illius regionis partem ad Occidentem, & Boream. O. V. 16, 7.

GIGANTES erant filii Titanis, & Telluris immenſa corporis granditate præditi, & draconis pedibus nixi terrorem cuique injiciebant. Tellus eos enixa eſt in Deorum exitium, & præſertim ad deturbandum ſolio Jovem, in quem iram evomebat. Apollo, Diana, Bacchus, & Hercules opitulati ſunt Jovi, qui fulmine perculit illa monſtra, & dejecit alios quidem in ima montium viſcera, alios autem in profunda Tartara. Enceladus ſepultus eſt ſub inſula Sicilia, Polybetus ſub Lango, Othus ſub Candia, Tiphœus ſub Iſchia, vel Syria, vel Cilicia. O. II. 19, 22. III. 1, 7. 4, 73.

GLAUCUS filius Hippoloci, & nepos Bellerophontis fuit Rex Cariæ, & auxilium tulit Trojanis; victus a Diomede in certamine receſſit, & miſit dona victori ſuo. S. I. 7, 17.

GLYCO ex Troade oriundus inter Philoſophos non minus, quam Athletas illuſtris fuit. Straboni ſucceſſit in Schola Peripatetica, & obiit 64 annos natus. E. I. 1, 30.

GNATIA 40 millibus paſſ. diſtabat Bario in Apulia. maxima in ea urbe aquarum dulcium, non vero ſalſarum penuria. Ejus incolæ valde ſuperſtitioſi. S. I. 5, 96.

GNOSSOS urbs Cretæ ad flumen Cæratum. Gnoſſii valebant arcu. Utebantur calamo ſubtili, duro, qui ſurgebat ex arenis inſulæ prope mare. O. I. 16, 17.

C. GRACCHUS, & Q. MUTIUS SCÆVOLA peritiſſimi juriſconſulti fuere Romæ. Cicero eos magnopere laudat in lib. de Orat. Scævola fuit Conſul anno 659. E. II. 2, 89.

H

HADRIA Mediterranei ſinus magnus; ejus longitudo extenditur a vento Phœnicio (*oſtro Sirocco*) ad Orcium Thraciam (*Maeſtro Tramontana*) inter Italiam & Turcarum Europæorum imperium. Nomen deducit ab Urbe Hadria in antiqua Flaminia, h. e. in agro Rhodigino.

O. I.

O. I. 3, 15. 17, 4. II. 11, 2. 14, 14. III. 3, 5. 27, 19.

HEBRUS naſcitur a radicibus montis Rhodopes, Thraciam interfluit, alluit Philippopolim, Hadrianopolim, & Trajanopolim, & delabitur in Ægæum contra inſulam Samothracem. Mons Rhodope incipit inter Serviam, & Macedoniam, ex qua procedit in Thraciam uſque ad Hadrianopolim. O. I. 26, 20. O. III. 25, 10. 12. E. I. 3, 3. 16, 13.

HELENA filia fuit Jovis ex Leda, Caſtoris & Pollucis ſoror, vel, ut alii, Tindari regis Lycaoniæ, & Ledæ. Hæc ob formæ præſtantiam a multis adamata eſt, & primum a Theſeo adhuc virguncula rapta, ſed poſtea abſente Theſeo, a Caſtore & Polluce repetentibus citra injuriam reſtituta. Mox adulta Menelao Lacedæmonum regi nupſit. Paris autem Priami filius, nemini forma cedens, illius pulchritudine illectus Spartam navigavit, ibique Helenam ipſam, abſente Menelao, a quo prius benigne exceptus fuerat, rapuit. Hac itaque injuria univerſi Græci Principes commoti, primum omnes in Aulide conjurarunt de repetenda Helena, & evertenda Ilio. Quo in bello occiſo Paride, nupſit Deiphobo ejuſdem Fratri, cumque Græci armis diffidentes ad proditionem converſi diſceſſum ex compoſito ſimulaſſent, illa ex arce, accenſa face ad occupandam urbem Græcos revocavit. Qua capta Menelaum in cubiculum, ubi Deiphobus dormiebat, vocavit: eoque interfecto cum viro in gratiam rediit. O. I. 3, 2. 16, 2. IV. 9, 16. V. 17, 42. S. I. 7, 107.

HERCULES Alcmenæ filius, quem maxime nobilitavit implacabile Junonis odium, quæ, quod ex pellice natus eſſet, perdere eum cupiens novis ſemper monſtris objecit. Sed ille omnia ſuperavit labore improbo, & immortale ſibi decus peperit, adeo ut illa citius jubendo, quam hic laborando defatigaretur. Ubi Heros in terris nulla amplius monſtra vidit, quibus in domandis virtutem exerceret, ad inferos deſcendit, ut educeret Alceſten, redderetque eam Admeto conjugi, Theſſaliæ regi, eduxit Theſeum, & Cerberum eripuit ipſi Plutoni &c. Cum evertiſſet Trojæ mœnia, Neptunus & Apollo tunc cœlo expulſi, quod cum Junone in Jovem conſpiraſſent, mercede pacta eum Laomedonte Trojæ Rege operam ſuam collocarunt in illis reficiendis. Sed confecto opere Rex

negavit mercedem. O. I. 3, 36. III. 3, 9. 22. 14, 1. IV. 5, 36. 58. 8, 30. V. 3, 17, 17, 31. E. I. 1, 5.

HIPPODAMIA nomen accepit Briſeidis a Patre Briſea, qui erat magnus Sacerdos Pedaſi urbis. Capta Lyrneſſo urbe Patria ſua Achilli victori in ſortem ceſſit, & poſtea ab Agamemnone erepta implacabilis inter eos diſſidii cauſa fuit, neque enim unquam adduci potuit Achilles, ut arma ſumeret, ſed Patrocli morte audita ad vindictam ruit. O II. 4, 3.

HIPPONAX verſus Scazontis inventor in Græcia claruit 60 Olympiade. Ejus maledicentia, & deformitas cauſa princeps fuit, cur ipſe apud poſteros innoteſceret. Bupalus & Atemis vel Anthermus fratres, illuſtres ſtatuarii ejus effigiem publice propoſuerunt deridendam. Quamobrem indignatus tam acerbe in illos invectus eſt jambis, ut penitus eoſdem peſſumdaret. Illi ambo erant Chii, Hipponax vero Epeſinus. Pli. lib. 36. c. 5. O. V. 6, 14.

HISPANI metalla tractare probe ſciebant. Plures habebant fodinas, & optimas aquas ad ferrum temperandum. O. I. 30, 15. III. 6, 31. 8, 21. 14, 3.

HOMERUS Mæonis filius Poeta præſtantiſſimus omnium. Celeberrima confecit Poemata, Iliadem nempe & Odyſſeam, (V. *Mantiſ. de Poe. Ep.*) floruit poſt captam Trojam annis circiter 180, ante primam Olymp. 118. U. C. 142. & æram Chriſt. 850 vel 895. de Patria ejus nihil certi traditur. O. I. 6, 2. IV. 9, 6. 51. E. I. 16, 6. II. 1, 50. III. 74. 120. 359. 401.

HYDASPES fluvius Aſiæ geminus, alter quidem per Suſianam apud ſuſam urbem fluit leniter, alter vero Indiæ citerioris, terminus itineris Alexandri magni, cum Aſiam ſubjugaret, Labortium urbem illius tractus primariam rigat, & deinde in Indum flumen apud Neſam urbem labitur. O. I. 23, 8.

HYDRA portentoſus ſerpens lacum Lernæ prope Mycenas infeſtabat. Multa habebat capita, quorum vix uno reciſo alterum enaſcebatur. Hercules accenſo tandem igne ſingulis capitibus monſtro vitam ademit. O. IV. 4, 57. E. II. 10, 10.

HYMETTUS mons Atticæ celeber inter Athenas & Sunium extenditur a ſinu Œnopio uſque ad fretum Euboicum. Ex lapidibus Hymettiis optimæ fingebantur columnæ.

minæ. Magni habebatur mel Hymettium. O. II. 6, 14. 18, 3. S. II. 2, 15.

HYPSÆA erat Matrona inclyta ex familia Plautiorum. Fortaſſe erat filia Plautii Hypſæi conſularis viri, qui ambitus accuſatus eſt in petendo conſulatu contra Milonem & Scipionem. De cæcitate Hypſææ Horatius neſcio quid indicat, quod nobis ignotum eſt, quodque in proverbium abiit: *Hypſæa cæcior*. Anne hæc Matrona amaſio utebatur deformi, quem ipſa ut formoſum laudaret? S. I. 2, 91.

I

JANUS erat filius Creuſæ, & nepos Erectei Regis Athenarum. Perebiam reliquit Theſſaliæ regionem, & in Italiam venit, dum Sterſes regnabat apud Aborigenas annis 573 ante primam Olympiadem. Succeſſit Sterſi annis 554 ante Olympiadas. Duplici vultu pingebatur. Regnavit 1330 annis ante æram Chriſt., 33 annos regnum tenuit, ſucceſſoremque habuit Picum Sterſis filium. Templum habuit Romæ, quod belli tempore aperiebatur, pacis vero claudebatur. Auguſti ætate ter clauſum fuit. Nempe anno 725. 730. 744. Janus etiam erat locus Romæ, ubi fœneratores conſiſtebant e regione Baſilicæ, ita dictus, quoniam in eo Jani ſimulacra collocata viſebantur. Prima hujus vici pars, ubi pecunia fœnori dabatur, *ſummus Janus*, ultima pars, *Janus imus*, media vero, *Janus medius* dicebatur. Jani denique dicebantur omnes tranſitiones perviæ, ſive ædificia fornicata quadrata, aut arcus, quos Dio ἀψῖδας appellat', cujuſmodi plures per omnes urbis regiones Domitianum extruxiſſe ſcribit Suetonius in ejus vita: c. 13. *volte e portici fatti a volta*. Idem in vita Auguſti c. 31. Forum Romanum tres illos habebat Janos, de quibus ſupra diximus. „Forum porticibus, taberniſque claudendum & Janos tres faciendos locavere." T. Liv. lib. 41. O. IV. 15, 9. S. II. 3, 18. 6, 26. E. I. 1, 54. 16, 59. 20, 1. II. 1. 255.

JAPETUS Cœli & Terræ filius, Titanum unus, vir potens apud Theſſalos, ſed protervo ingenio, magiſque filiorum, quam ſua virtute clarus. Ferunt, hunc Aſiam Nympham uxorem duxiſſe, & ex ea Heſperum, Atlantem, Epimetheum, & Prometheum ſuſcepiſſe. Cum Saturno fratre regnavit. O. I. 3, 27.

JASON filius Æſonis ex Polymela, ſeu, ut alii volunt, Alcimede, quem Pater moriens Peliæ Fratri in tutelam commendavit, tradito etiam regno, ea tamen lege, ut illud adulto Jaſoni reſtitueret. Porro Alcimedes ſuſpectum habens Peliam, Jaſonem Chironi alendum dedit. Itaque Jaſon adultus ad repetendum paternum regnum venit: ſed Pelias commentus fraudem, Jaſonem Colchos ad auferendum aureum vellus navigare juſſit. Quæ res licet primo fieri non poſſe videretur, tamen præparata Argo cum reliquis heroibus Colchos profectus eſt. Inter navigandum autem primum ad Lemnum inſulam appulit, ubi ab Hypſipyle hoſpitio & thalamo exceptus eſt. deinde ad Phineum regem, a quo muneris loco edoctus eſt, quomodo per Cyaneas petras inter ſe concurrentes ad Colchos uſque tuto navigare poſſet. Quo cum perveniſſet, Medea Colchorum regis filia forma ejus capta a certiſſimo eum eripuit exitio, oſtenſa ratione, qua æripedes tauros perdomare, & draconem pervigilem ſopire poſſet. Ejus itaque conſilia ſecutus Jaſon, aureum vellus ſuſtulit, & inde clam cum ſociis, & Medea fugam arripiens ad Iſtri oſtium pervenit, adverſoque flumine ſubiens cum eum tandem in locum perveniſſet, ubi Dannubius Liburniæ montibus proximus eſt, navim, qua vectus erat, ſuis, ſociorumque humeris ſuppoſitis, ſuperatiſque montibus in mare Hadriacum deportavit; tandemque ſoſpes in Patriam revectus duos ex Medea filios ſuſcepit; ſed cum poſtea Creuſæ, Corinthiorum regis filiæ amore flagrans eam uxorem duxiſſet, Medea ægre ferens divortium, Creuſam cum regia exuſſit; ſevit ille Draconis dentes in Colchide. Cadmus idem fecit 200 annis poſt. Ex his dentibus nati ſunt homines armati, qui ſe invicem interemerunt. Thebæ vocatæ ſunt Echioniæ ab Echione genero Cadmi. O. IV. 4, 60. V. 3, 12.

IBERIA eſt inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium, & Georgiæ orientali reſpondet. Acropolis Iberica eſt caput regionis ad Cyrum flumen. O. V. 5, 21.

ICARIA inſula prope Anatoliam medio fere inter Samum, & Mylonem ſpatio ſita eſt. hinc mare Icarium. O. I. 1, 15.

ICARUS filius Dædali una cum patre e Creta fugiens fretus alarum fiducia, cum altius ac pater juſſerat, evolaſſet, ſoliſque ardore cera, qua pennæ continebantur, lique-

queſacta eſſet, ita ut ab alis defluerel, decidit in mare, quod eſt inter Samum, & Myconem, quod ab ejus nomine Icarium dictum fabulæ perhibent. Hoc mare periculoſum eſt propter frequentes exiguas inſulas, & ſcopulos. O. II. 20, 13. III. 7, 21.

De M. ICCIO loquitur Cicero in Philippica ſecunda, qui anno 710 Siciliam gubernavit. fortaſſe Pater erat hujus, de quo verba facit Poeta. O. I. 30, 1. E. I. 12, 1.

IDOMENEUS Rex Cretæ filius Deucalionis, & Minois nepos contra Trojanos animoſe pugnavit. Troja autem everſa cum in patriam renavigaret, ſubito oborta tempeſtate ſolemne votum concepit, ſi ſe Neptunus incolumem in Patriam reduceret, ſe illi immolaturum, quod primum ſibi occurreret. Contigit autem, ut Filius ei primus obviam iret, quem cum mactare vellet, a ſuis pulſus fugit in Calabriam, ubi juxta Salentinum promontorium oppidum condidit. O. IV. 9, 20.

ILERDA Urbs Hiſpaniæ in Catalonia. Nota eſt ob victoriam, quam retulit Cæſar de Petrejo & Afranio legatis Pompej. E. I. 20, 13.

ILIA filia Numitoris, mater Romuli & Remi ex Marte. Ab Amulio Patruo Veſtæ ſacrata fuit. O. I. 2, 17. IV. 4, 53. 8, 22. V. 15, 5. 17, 11. 19, 37. S. I. 2, 126.

ILIONA filia major natu Priami nupſit Polymneſtori Regi Cherſoneſi in Thracia. Priamus cum ad Filiam clam recedere vellet, e manibus Græcorum evaſurus, miſit illuc Polydorum ex filiis ſuis poſtremum natu adhuc adoleſcentulum, ut clanculum apud ipſam educaretur. Tradidit ei ingentem pecuniæ vim, quam maxime celari juſſit. Polymneſtor rei totius certior factus a Græcis, quibuſcum ſecreta fovebat conſilia, Polydorum interficere ſtatuit. Iliona præſentiens animo nefarios viri conatus mutavit fratrem Diphilo, quem ex prima ſua conjuge filium habuerat Polymeneſtor. Barbarus igitur rex filium ſuum pro Polydoro vita orbavit. Achilles cum poſtea in Thraciam veniſſet, Polydorum palam fecit, & interficiendum curavit, & Rex tunc Priami divitiis potitus eſt. Accius, aut Pacuvius hac ſuper re Tragœdiam condidit, cujus eumdem locum Cicero protulit, in quo ab Horatio citata verba reperiuntur: *Mater te adpello*. S. II. 3. 61.

ILLYRIUM vetus continebat Liburniam, Dalmatiam, Pannoniam, Noricum, & Vindeliciam. progreſſu temporis Romani acceperunt Illyrii nomine Liburniam & Dalmatiam. Maris Illyrici nomen eſt apud Horatium commune toti Hadriaco freto. O. I. 29, 22.

IMAGINUM jure utebantur viri, & feminæ Romanæ, quorum majores magiſtratibus Curulibus perfuncti fuerunt. In pompa funebri ante feretrum hæ tabulæ pictæ ferebantur, quæ totum genus repræſentabant. O. V. 8, 11. 26, 24. S. I. 6, 17.

INACHUS primus Argivorum rex, Inacho Fluvio nomen dedit, a quo Argivi ipſi Inachidæ appellati ſunt. Hujus filia creditur fuiſſe Io, quam cum Jupiter vitiaſſet, & in Cretam adduxiſſet, Juno pellicis impatiens, graviſſimis odiis eam exagitavit; Quæ res Poetis occaſionem fabulandi dedit, Ionem Inachi fluvii filiam fuiſſe, Junonis metu a Jove in Vaccam mutatam, quam cum illa a conjuge dono accepiſſet, æſtro immiſſo tantopere fuiſſe actam, ut furore correpta nuſquam conſiſtere poſſet, donec in Ægyptum tranſvecta in Iſidem Deam converſa eſt. De Ione vaga Tragœdiam Æſchylus ſcripſit. O. II. 3, 21. III. 19, 1. E. III. 124.

INDI vaſtum Aſiæ regnum incolebant inter Perſas, Scythas, & Seras. Hodie l'. *Induſtan*. Hoc nomine veniunt etiam Æthiopes, qui ebore abundabant, teſte Heliodoro. O. I. 13, 16. III, 24, 2, IV. 14, 42. V. 19, 56. E. I. 1, 45. 6, 6.

INO filia Cadmi, & Hermiones, tertia Athamantis Thebarum regis uxor, ex quo duos filios genuit, nempe Learchum, & Melicertam. Athamas furore abreptus cum majorem natu occidiſſet, Ino minorem amplexa ſe cum illo in mare præcipitem dedit. Alii ferunt, eam ſuos duos filios occidiſſe, quos crediderat leunculos eſſe, cum ipſa ſe leænam eſſe ſuſpicata fuerit. Euripides hac ſuper re Tragœdiam edidit. E. III. 223.

INSULÆ FORTUNATÆ, ſeu CANARIÆ ſunt quædam veluti partes divulſæ ab antiqua inſula Atlantica, cujus partes inferiores Ponti Euxini alluvione obrutæ ſunt, qui cum inter Europam & Aſiam viam ſibi aperuiſſet, Mediterraneum produxit, & per canalem ſe junxit Oceano diſtrahens Hiſpaniam ab Africa. O. V. 16, 42.

IO Inachi filia (vide Inachus.)

IOL-

IOLCHOS oppidum eſt Magneſiæ (quæ eſt regio exigua Theſſaliæ ab ortu adnexa) inter Pelion, & Oſſam montes ad ſinum Pelaſgicum. O. V. 5, 21.

ISTER Fluvius Europæ longe maximus, qui ortus in jugis Arnobæ montis Germaniæ in principatu Turſtembergenſi, ex adverſo Galliæ oppidi Rauſaci, multis intra Alpes mill. paſſ. ac per innumeros lapſus gentes, ſexaginta auctus amnibus in Pontum Euxinum duobus oſtiis evolvitur. Alio nomine Dannubius dicitur præſertim a fonte uſque ad Cataractas, quæ ſunt in montibus Daciæ, non procul a Tauraro oppido. Nam deinceps Iſtri nomen ſumit. O. IV. 14, 37. 15, 21.

ISTHMUS omnium celeberrimus Corinthiacus, & Achaicus vocatus quinque tantum mill. paſſ. ſpatio Ægæum mare ab Jonio ſubmovens, h. e. ſinum Naupactæum a Sarenico anguſto tramite Helladi Peloponneſum adnectit. Ludi Iſthmici celebrabantur tertio quoque anno. Siſyphus rex Corynthi eos inſtituerat in honorem Melicertæ. O. I. 7, 2. IV. 3, 3.

ITHACA parva inſula in mari Jonio dextrorſum ſeſe offert exeuntibus Naupactæo portu, ſita eſt inter Cephalenem, & oras Albaniæ meridionalis. S. II. 5, 4. E. I. *6*, *63*. *7*, 41.

JUBA rex Mauritaniæ Pompejanarum partium conſtantiſſimus aſſertor fuit, Curionem a Cæſare in Africam miſſum cum omnibus copiis delevit. Victo vero Pompejo cum L. Scipione copias conjunxit, commiſſoque prælio Tapſi, quod eſt oppidum in regno Tunitano inter Rhuſpinam & Rhuſpas Lepti parvæ vicinum ſuperatus eſt, cum nulla jam ſpes reliqua eſſet, magnifice epulatus, cum Petrejo mutuis vulneribus inflictis concurrens fortiſſime cecidit. de Juba J. Cæſar triumphavit, ejuſque filium admodum infantem duxit in triumphum, qui poſtea, ut ſcribit Plutarchus in Cæſare, annumeratus eſt doctis Scriptoribus, & ad Cajum Auguſti filium de rebus Arabiæ libros 6 conſcripſit, teſte Plinio. O. I. 23, 15.

JUGURTHA filius Manaſtabalis fratris Micipſæ regis Numidarum, quem Micipſa patruus moriens heredem regni ſui conſtituit una cum duobus Filiis ſuis impuberibus Adherbale, & Hyempſale, hos ille poſtea beneficiorum immemor inſidiis adortus interfecit, ut ſolus regnaret. Id ægre ferentes Rom. bellum adverſus Jugurtham move-

 runt,

runt, quod Ducum inertia perfidiaque præter omnium expectationem multos in annos eſt protractum. Quo temporis intervallo ancipiti ſæpe marte pugnatum eſt; donec miſſo in Numidiam Mario, Jugurtha fractis opibus ſuis ad Boccum Mauritaniæ Regem confugit, a quo proditus, Syllæque traditus ad Marium perductus eſt, & ab eo Romæ in triumpho ductus, tandemque in carcerem conjectus animi dolore periit. O. II. 1, 28. V. 9, 23.

JULIA LEX permittebat Marito occidere adulterum uxoris ſuæ, ſi tamen adulter fuiſſet leno, præco, comœdus, aut libertus domeſticus, aut ſervus, non autem occidere uxorem; eadem lex Patri poteſtatem dabat occidendi filiam, & adulterum in hoc ſcelere deprehenſos. S. II. *6*, *61*.

IXION filius fuit Phlegiæ Lapitharum Regis in Theſſalia (alii tamen Ætionis, alii Jovis filium autumant) principio uxorem duxit Diam filiam Dionei ſeu Eſonei, cui cum multa pro compenſatione dotis pollicitus eſſet, & ob id pater ſponſæ ad eum veniſſet, ut munus reciperet, Ixion facta ſcrobe, eaque lignis, & ſtramentis intecta, Patrem ſponſæ in ea fraude peremit. a qua cæde cum neque homines, neque Dii eum luſtrare vellent, diuque incertus vagaretur, Jupiter illius miſertus, in cœlum aſſumtum expiavit. Cumque jam purgatus apud Superos degeret, Junonem amare cœpit, eamque de ſtupro interpellavit. Quod cum Jupiter ab uxore reſciviſſet, nubem illi ſub Junonis effigiem oppoſuit, ex qua ille Centauros genuit. Dejectus deinde in terram, cum paſſim gloriaretur, ſe cum Deorum Regina rem habuiſſe, Jupiter indignatus fulmine ictum ad inferos deſtruſit, curavitque, ut ibi rotæ volubili adligatus perpetuo volutaretur. Æſchylus, & Euripides hac ſuper re Tragœdiam confinxerunt. O. III. 11, 25. E. III. 124.

L

LACEDÆMON clariſſima totius Peloponneſi urbs Lycurgi legibus optime inſtituta, alio nomine Sparta dicta eſt propter Eurotam, qui hodie vocatur *Baſilipotamus*. O. I. 7, 10. III. 5, 56.

LACONIA Peloponeſi regio inter Argivum agrum, & Meſſeniacum ſecundum litus extenſa, in promontorio

Tæ-

Tænario (*capo matapan*) in ſinu Laconico & Argolico, olim a numero centum civitatum Hecatompolis appellata fuit, quarum omnium caput Sparta. Nautæ expiſcabantur muricem in ſinu Laconico. Epirus erat antiqua Chaonia prope Jonium mare inter Illyrium, Theſſaliam, & Acajam a Celidno fluvio uſque ad ſinum Ambraciæ. Hodie eſt pars Albaniæ. Inter Epirotas recenſebantur Moloſſi. Canes hujus regionis erant validi, & animoſi, apti cuſtodiendis gregibus, & venatui exercendo. O. II. *6*, 11. 15, 23. 18, 7. III. 3, 25. IV. *9*, *16*. V. *6*, 5.

LACUM LUCRINUM, & AVERNIUM disjunctos olim aliquo continentis intervallo Agrippa ducta foſſa conjunxit anno 717, ibique magnificum portum conſtruxit, quem vocavit portum Julium colendi cauſa Auguſti, qui tunc dicebatur Jul. Octavianus. Lacus Lucrinus jam parvus erat prope intimum receſſum ſinus Puteolani, abundabatque piſcibus delicatiſſimis, & Bajanus vocabatur. Sed ex quo terræmotu anni 1538 mons repente hic extitit Cireneus, nihil Lacus Lucrini ſupereſt, niſi palus cœnoſa cum arundineto. O. II. 15, 3. V. 2, *49*. S. II. 4, 52. E. I. 18, *63*. III. *63*.

M. VALERIUS LÆVINUS unus ex filiis Conſulis, qui contra Pyrrhum pugnavit, vitam obſcuram traduxit, & fortaſſe ille fuit, qui familiæ ſuæ ignominiæ labem injiecit. Plinius lib. 35. c. 2. ait: „ Extat Meſſalæ Oratoris „ indignatio, qua prohibuit inſeri genti ſuæ Lævinorum „ alienam imaginem. „ Valeria gens in duas familias Patriciam & Plebejam diſpertita eſt. Cognomina Poplicolæ, & Lævini erant adnexa utrique familiæ Valeriæ gentis, primum Patriciæ, alterum Plebejæ. In Plebeja quatuor Conſules juſſi ſunt. S. I. *6*, 12.

LÆVIUS Poeta antiquus, ſed recentior, quam Livius Andronicus, Poema condidit inſcriptum *Io*, & alterum de Centauris, Tragœdiam Alceſtis, & nonnulla carmina obſcœna. E. II. 1, *69*.

L. ÆLIUS LAMIA deplorabat mortem Q. Ælii Lamiæ fratris. O. I. 27, 8, 37, 7. III. 17, 1. E. I. 14, *6*.

LAMIÆ, ut ferunt fabulæ, blanditiis ad ſe adliciebant pueros, eoſque devorabant, qui poſtea ex earum ſtomacho vivi extrahebantur. Hac fabula utitur Horatius ut oſtendat, a Theatro ea prohibenda, quæ ſpectatorum animos avertere poſſunt. Hæ Lamiæ erant quædam Phantaſma-

taſmata. Singulis fere ætatibus, & regionibus hujuſmodi portenta inventa ſunt, quibus nutrices uterentur ad terrendos pueros. Hac peſſima conſuetudine fit, ut tenellum eorum cerebrum vehementer concutiatur, & in toto vitæ curſu terroris veſtigia retineat. E. III. 339.

LAMUS cum ex Sicilia in Italiam gradum feciſſet cum exercitu Læſtrigonum ſedem poſuit in Campania, ubi condidit urbem Læſtrigonem paulo ante bellum Trojanum. Laconum Colonia cum poſtea eodem conveniſſet, primum nomen urbis mutavit, vocavitque *Formias*. Hujus loci vina magni æſtimabantur. O. III. 17, 1.

LANUVINUM oppidum erat Latii in via Appia, a quo proſpectus patebat maris, & Antii, 22 mil. paſſ. diſſitum ab urbe, cujus hodie nomen *Città indovina*.

LAOMEDON filius Ili, pater Priami, rex Trojæ, cum de ædificandis Trojæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox extructis mœnibus ſe ſoluturum jurejurando affirmavit. Verum perfecto opere Laomedon perjurus pactam mercedem negavit. Propter quod Dii irati Neptunus aquam, Apollo peſtem urbi immiſit. Duplici igitur calamitate affectus Laomedon de remedio Oraculum conſuluit: reſponſum eſt; non aliter Deos placari poſſe, quam ſi ſingulis annis Virgo Trojana ceto dilaceranda exponeretur. Inſtitutum itaque eſt, Virginem quotannis exponi, eamque ſorte eligi. Sed cum tandem ſors in Heſionem (quam tamen alii ſolam ab Apolline, & Neptuno expoſtulatam tradunt) Laomedontis filiam cecidiſſet, & jam ſcopulo adligata monſtrum expectaret, Hercules forte illac tranſiens liberaturum ſe filiam Laomedonti pollicitus eſt, ſi equos divino ſemine prognatos, quos habere eum conſtabat, in præmium ſibi traderet. Hunc igitur in modum pactione facta, Hercules interfecta bellua Virginem liberavit. Sed cum Laomedon promiſſis non ſtaret, indignatus Hercules collecto undequaque exercitu Ilium expugnavit, Laomedontem occidit, Heſionem Telamoni uxorem dedit, quod primus murum conſcendiſſet; Priamum ejus filium captivum abduxit, qui poſtea auro a vicinis redemtus eſt. Hercules evertit Trojam 69 annis antequam eadem caperetur a Græcis, 477 ante Olympiadas, 1254 ante æram Chriſtianam. everſa igitur eſt a Græcis 408 annis ante Olympiadas, 432 ante U. C. 1184 ante æram Chriſt. Vocatur

catur *urbs ſacra* ab Horatio, & a Virgilio *Divum Domus*, non modo quia ejus mœnia a Diis conſtructa ſunt, verum etiam quia templis abundabat. O. III. 3, 22.

LARISSA in Theſſalia in ripa Meridionali Penei. Erant in Græcia tres aliæ urbes hujuſce nominis. Una in Macedonia ad ſinum Pelaſgium, altera prope Oſſam, tertia in Peloponneſo circa Elidem. O. I. 7, 10.

LATINÆ FERIÆ erant conceptivæ ſingulis annis a Magiſtratibus incertos vel incertos dies concipi ſolitæ, quibus pro communi totius Latii ſalute Jovi Latiali in monte Albano ſacra fiebant a Præfecto urbis Latinarum Feriarum cauſa creato: populiſque Latinis carnes dividebantur ex præſcripto vetuſti fœderis inter Romanos & Latinos icti; Sp. Caſſio, & Poſtumo Cominio Conſſ. Cujus fœderis leges ne ullo unquam tempore interciderent Romæ in ænea Columna fuerunt inciſæ. E. I. 7, 76.

LATIUM antiqua regio prope mare Tyrrhenum dividitur in vetus, & novum. Vetus hodie eſt *la Campagna di Roma*, continebat Latinos, Rutulos, & Volſcos a Tiberi uſque ad Anxur. Novum, quod hodie eſt pars agri Laurentis, protendebatur ab Anxure uſque ad montem Maſſicum ultra Lyrim, & incolebatur ab Auſoniis, & Auruncis. O. I. 13, 53, 36, 10. IV. 4, 36. V. 19, 66. E. I. 19, 24. II. 1, 157. II. 2, 121, III. 290.

LAVERNA furibus præerat, & iis, qui nefaria ſua conſilia celare volebant. Habebat aram prope Portam Lavernalem. E. I. 16, 60.

LAURENS SYLVA patebat in latere Latii inter Lacum Hoſtiæ, & flumen Numicum. O. V. 5. 28.

LEBEDUS urbs amœna in ora maris Mediterranei inter Smyrnam, & Colophonem, a qua diſtabat 120 ſtadia. Colligitur ex Horato miſerum oppidum tunc fuiſſe. E. I. 11, 6. 7.

LECTISTERNIA in rebus proſperis indicebantur ad reddendas Diis gratias, & in calamitatibus Reip., quas Dii averterent. Deorum ſtatuæ ſternebantur in lectulis in templis, Dearum vero in ſellis ponebantur; epulum adponebatur Diis, quo ſeptemviri Epulones demum fruebantur. Ad Deos igitur apparatus omnis epuli ſolummodo pertinebat. Hinc Horatius: *ornare pulvinar*. O. I. 38, 3.

LEDAM Tyndari Laconicæ Regis uxorem cum Jupiter adamaret, transformatus in cycnum, cum ea concubuit.

Ex

Ex quo congreſſu Leda duo ova peperit, ex quorum altero nati ſunt Pollux, & Helena, ex altero Caſtor, & Clytemneſtra. Primi erant gemella proles. Pollux Jovis filius, Caſtor Tyndari putabatur. aſtris ambo inſerti ſunt. Pollux immortalis natus cum Fratre imortalitatem communicavit. Hæ duæ ſtellæ favebant nautis, cum ſimul prodibant. O. I. 13, 25. III. 3, 9. 29, 64. IV. 5, 35. V. 17, 42. 43. S. II. 1, 26. E. I. 18, 19. II. 1, 5.

LEGIO ROMANA erat agmen in exercitibus Rom., quæ ſub Romulo 3000 militum conſtabat. Progreſſu temporis vero 6000. Qualibet legio dividebatur in decem cohortes, cohors in 50 manipulos (alii dicunt in tres) manipulus in tres centurias (alii in 25 milites). Præter 6000 peditum habebat etiam alam vel cornu 300 equitum in 10 turmas diviſum, & quæque turma tribus decuriis conſtabat. S. I. 6, 4. 48.

LEO occiſus eſt ab Hercule apud montem Teumeſſum in Bœotia, & a Junone in cœlum translatus. Hoc ſignum magna ſtellarum multitudine conſtans quintum in Zodiaco tenet locum, ex his ſtellis una maxime præfulget, & vocatur cor Leonis, aut Regulus, Græce ὁ Βασιλίσκος. Fortaſſe hæc eſt illa ſtella, de qua loquitur Horatius. Sol tunc ſignum Leonis intrabat 14 circiter Cal. Aug. O. III. 29, 19.

LESBOS inſula eſt in Ægæo Æolicarum urbium primaria, quæ olim univerſæ Troadis imperium obtinuit. Ambitus ejus ſtadiorum 1100., a Borea in Auſtrum protenſa, 560 ſtadia longitudinis habens: feraci agro, & multa materie ad claſſes conficiendas idonea abundabat. Urbes in ea inſignes Mitylene, & Pyrra in occidentali litore ſita, fuit & Eriſſos, & Antiſſa cum portu, & Methymna. In ea nati Pittacus unus e ſeptem, Alcæus, Sapho &c. O. I. 1, 34. 18, 21. 27, 11. 33, 5. IV. 6, 35. E. I. 11, 1.

LIBITINA Dea præeſt funeribus, ſic dicta, quia pro libitu nobis vitam eripit. Eadem eſt ac Venus infera, vel Epithymbia. Romæ erat Libitinæ ædes, in quam emortuorum nomina ſcribebantur, ut in ædem Junonis viventium. Proventus Deæ Libitinæ, vel potius ejus ſacerdotum ratione funerum multiplicabantur, quia ad ejus templum nummus pro ſingulis demortuis ferebatur. Suet. in Nerone c. 31 ait: *triginta funerum millia*

in

in rationem Libitinæ venerant. quæſtus etiam fiebat ex venditione rerum ad magnifica funera neceſſariarum, quæ in æde Libitinæ curabantur a Libitinariis, Pollinctoribus, Præficis, Veſpillonibus, ſandapilariis, reliquiſque deſignatoribus. O. III. 30, 7. S. II. 6, 19.

LIBONIS puteal erat dimidiatus arcus putei operculo inſtructus in foro Rom., quem Scribonius Libo exſtrui juſſerat ex S. C. eo loci, quo fulmen e cœlo lapſum eſt. E. I. 19, 8.

LIBRI SIBYLLINI in arca lapidea clauſi ſervabantur in ſubterraneo Capitolii loco. Temporis decurſu multi electi ſunt horum librorum cuſtodes uſque ad numerum 60 ætate Servii interpretis Virgiliani. Cum conflagraſſet Capitolium anno 671, hi libri periere. Sylla illud rurſus conſtrui juſſit, Senatus in Joniam tres miſit viros, qui verſus colligerent, quotquot Sibyllæ Eritrææ erant, quorum mille inventi ſunt. Auguſtus colligi juſſit in Aſia minori, in inſulis maris Ægæi, in Africa, & in Coloniis Italiæ 2000 & amplius volumina verſuum græcorum, & latinorum, qui Sibyllis adſcribebantur, & poſtquam cremari juſſit eos, quos adulterinos judicarunt Pontifices, reliquos includi in duabus arcis auratis una cum verſibus illis Sibyllinis, quos e Capitolio eduxerat; & ſupponi baſi Apollinis Palatini in templo, quod fabricabat. Suetonius cap. 31. in vita Aug. ait: „ Quidquid fatidicorum „ librorum Græci Latinique generis, nullis, vel parum „ idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, ſupra 2000 con„ ſtructa undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos, „ hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis „ auratis ſub Palatini Apollinis baſi „. In hoc ſtatu res permanſit uſque ad Honorii ætatem, qui per Stiliconem omnes illos verſus Sibyllinos aduſſit. (vide infra *Sibylla*) O. I. 1, 10. 11, 1. V. 19, 5.

LIBURNIA eſt regio ſupra intimum Adriaci ſinus receſſum, ſita inter Iſtriam, & Dalmatiam. Liburni utebantur velocibus, levibuſque navigiis. Omnia eodem pacto conſtructa vocabantur Liburna, vel Liburnica. O. I. 38, 30. V. 1, 1.

LIBYA pars Africæ ſeptentrionalis, ejus terminus ad ortum eſt Ægyptus, ad occidentem Regnum Tripolinum. Erat horreum Italiæ propter ingentem ſegetum vim, quæ colligebantur. Invehebantur enim Romam ſingulis annis

qua-

quatercenties centena millia Modiorum ad vitam civium ſuſtentandam 8 menſium curriculo. loquor de modiis Romanis ejus ætatis. Quod frumenti pondus ceperit Modius, tradere incertum eſt, cum granum a grano plurimum differat. Capiebat tertiam partem amphoræ, ſive aquæ, aut vini libras 26 $\frac{2}{3}$. Quatuor Modii erant demenſum menſtruum ſervorum. Modius erat ſexta pars Medimni Attici. E. I. 1, 10. II. 2, 10. S. II. 3, 101. E. I. 10, 19.

L. LICINIUS LUCULLUS, cujus Patruus Conſul fuit anno 603, Pater M. Licinii Luculli, quem Antonius necari juſſit poſt prælium Philippenſe, fuit Conſul anno 680, præfuit exercitui Rom. contra Mitridatem regem Ponti, & triumphavit anno 691. divitiis & luxu affluebat. Plutarchus hæc narrat in Lucullo, nominatque Horatium: „ Cum Prætor quidam Rom., qui ludos magnificentiſſimos facere, & ſpectaculum apparatiſſimum præbere cogitabat, petiiſſet ab eo, ad ornatum Chori Chlamides aliquot purpureas: reſpondit, ſe viſurum, haberet necne; & ſi haberet, daturum: poſtridie quæſivit ab illo, quot Clamidibus ei opus eſſet; cum ille reſpondiſſet, centum ſatis ſibi futuras, Lucullus juſſit eum bis tantum ſumere: ad quod exclamans Flaccus Poeta dixit, illas non videri divitias, ubi ea, quæ negliguntur, & quæ ignorantur, plura non ſunt iis, quæ ſunt in promtu, quæque apparent „. E. I. 6, 4.

L. LICINIUS VARRO MURENA tempore bellorum civilium contra Octavium arma tulerat, ideoque bonis ſuis ſpoliatus eſt. Maximum perfugium nactus eſt in liberalitate Proculej Fratris ſui. Sed hic ſtatus Clientelæ, & mediocris fortunæ non ei valde arridebat. Tempus quærebat, quo ſe jugo expediret. Verum timendum erat, ne ex ambitione ad ſummam rerum deſperationem adduceretur. Horatii monita irrita fuere. Cum iterum contra Auguſtum conſpiraſſet cum Fannio Cepione anno 732 vel 734, ſe ſuaque omnia peſſum dedit. Exilium & mors perduellionis pœnæ fuere. In Augurum Collegium cooptatus eſt anno 727 vel ineunte 730, quo Auguſtus in Hiſpania ægrotabat. De ejus inſidiis præter ceteros ſcribit Strabo lib. 14. Suet. in Aug. c. 19. Vell. Pater. lib. 2. O. II. 10, 1. III. 19, 11.

C. LI-

C. LICINIUS CALVUS celeber Poeta obiit anno *696*, 30 annos natus. S. I. 10, *19*.

LICINUS quidam tonſor plurimas opes congeſſit. Fertur a J. Cæſare in Patrum album fuiſſe conſcriptus, quia contra Pompejum arma ceperat. Hinc Epitaphium:

„ Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
„ Pompejus nullo: quis putet eſſe Deos? E. III. 301.

LIRIS vel GLANICUS, (*Garigliano*), Fluvius Campaniæ, ſeu Latii novi per Minturnarum ruinas in ſinum Cajetanum illabitur non procul Formiis. Interfluebat olim Regionem Hernicorum, Volſcorum, Auruncorum, Auſonum. Oritur in Brutio, Soram lambit, & excipit Trerum (*il Sacco*). O. I. 32, 7. III. 17, 4.

LIVIUS ANDRONICUS fuit libertus Livii Salinatoris, & ejus filiorum præceptor, ut docet Euſebius in Chron. Primus latino ſermone Comœdiam ſcripſit, teſte Diomede. „ Primum omnium T. Livius Poeta cœpit docere poſt „ Sophoclis, & Euripidis mortem annis plus fere centum „ & ſexaginta „. Cic. de Cl. Orat. & 10 Tuſcul. Gell. lib. 17. c. ult. Cicero tamen ait in Bruto, *Livianas fabulas non ſatis eſſe dignas, quæ iterum legantur*. Vide T. Liv. lib. 7. Ennius ipſe ait, ejus Fabulam puram putamque eſſe barbariem. anno 514 primum in ſcenam prodiit. E. II. 1, *62*.

LOLLIUS fuit vir aulicus Auguſti. miſſus eſt in Galatiam apud Regem Amyntam aliquot annis poſt pugnam Actiacam, & plurimum operæ ſtudiique contulit ad jungendum Imperio Rom. illud regnum teſte Euſebio. Auguſtus in provinciæ formam redegit Galatiam, Licaoniam, Iſauriam, Piſidiam, eamque tradidit gerendam Lollio, anno *729*, poſt mortem Amyntæ. Anno deinde 733 ineunte Romam venit, & Conſul factus eſt & Collega Auguſti: 5 annis poſt miſſus eſt in Thraciam, ut opem ferret Rimetalci patruo, & tutori filiorum Regis Cotis, contra Beſſos, quos mox profligavit. Inde perrexit in Germaniam legionum Roman. ductor, ut Sicambros, Uſipetas, & Tencteros coerceret. Eos demum fudit. Auguſtus ejus fidei commiſit Cajum nepotem ſuum. Lollius petiit Orientem cum illo Adoleſcentulo ad finem vergente anno 752, eum duxit ſecum in Syriam, in Arabiam, trajecit una Euphratem. Tandem optimi viri perſonam exuit in eo itinere. Abuſus eſt ſui muneris auctoritate, immenſam

ex-

extorſit a populis pecuniæ vim, mentituſque eſt Horatii laudes vitiis ſuis. Fovit diſſidium inter Cajum, & Tiberium, & ſecreta inivit conſilia cum Phraate, ut fœderis ſanctio renovaretur. Perfidum ejus animum animadvertit Cajus, cum Regem Parthorum apud Euphratem collocutus eſt, & odium in Lollium jure concepit. Homo igitur rerum deſperatione ductus veneno vitam finivit anno 754. Vell. Paterc. lib. 2. ait „ M. Lollius homo in o- „ mnia pecuniæ, quam recte faciendi cupidior inter ex- „ tremam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimus „. idem paulo infra: „ M. Lollii perfida, & plena ſubdoli, ac „ verſuti animi conſilia per Parthum indicata Cæſari ita „ vulgavit. hunc deceſſiſſe lætati homines. „ Corn. Tac. „ lib. 3. Ann. c. 48. M. Lollium (Tiberius) auctorem „ C. Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat. „ Plin. „ lib. 9. c 35. „ M Lollius infamatus regum muneribus „ in toto Oriente interdicta amicitia a C. Cæſare Augu- „ ſti filio, venenum bibit. „ Primus horum trium Auctorum tunc merebat Tribunus militum & interfuit congreſſui Caii, & Regis Parthorum: vide & Suet. in Tiberio cap. 12. & Solinum. 10 annis ante ejus mortem Horatius obierat, ideo ſibi pudori eſſe non poterat, quod laudaſſet virum, qui Romæ dedecori futurus erat. Habebat duos filios, quorum alter (majorne an minor natu, in dubio eſt) conſul poſtea factus eſt, & pater fuit Lolliæ Paulinæ uxoris Imperatoris Caj. Lollius filius puer, ad quem Horatius ſcribit E. I. 2, & 18, comitatus fuerat Auguſtum in Hiſpaniam contra Cantabros anno 727, 16 annos natus. Jam vero Auguſtus Roma diſceſſit ſub finem anni 723. Aliquot annis poſt ejus Pater in Galatiam iverat apud Regem Amyntam. O. V. 9, 33. E. I. 2, 1. 18, 11. 20, 28.

LUCANIA eſt intra oram maris Tirrheni, ac Siculi, illic a Silaro uſque ad Laum amnem, hic a Metaponto uſque ad Thurios: in continente autem a Samnitibus uſque ad Iſthmum, qui a Thuriis ad Cerillos pertinet. Silarus eam ſejungebat a Picentinis, Brandanus ab Apulia, Laus ac Sibaris a Brutio. Hodie eſt pars Regni Neapolitani, quæ comprehendit Baſilicatam, partem meridionalem Principatus, & partem aliquam Calabriæ recentis. O. V. 1, 28. S. II. 1., 34. 38. 3, 234. 8, 6. E. I. 15, 21. II. 2, 178.

LU-

LUCERIA urbs antiqua & nobilis Apuliæ Dauniæ egregia paſcua præbebat gregibus. Strabo ait, lanas ovium hic molliores, quam Tarenti, ſed minus albas eſſe. O. III. 15, 14.

LUCILIUS eques Rom., avunculus major Pompej magni, nam avia magni Pompej erat neptis Poetæ, Vellejo teſte. Natus eſt anno *605* Seſſæ Auruncæ in confinio Campaniæ, & obiit non longe Neapoli anno circiter *660*, 55 annos natus, publicoque funere elatus eſt. Euſebius hallucinatus eſt, qui 46 annos vixiſſe Lucilium aſſerit, cum ille Poeta loquatur de lege ſumtuaria Licinii, quæ lata eſt anno *658*, aut *659*. Lucilius fortaſſe hortatu Scipionis Africani minoris privatam vitam Scipionis Africani majoris verſibus ſcripſit. Erat bonis moribus præditus, ideoque vitia inſectari cœpit. Crudeliter laceravit quemdam Lupum, & Mutium, *genuinum fregit in illis*. 30, & amplius Satirarum libros ſcripſit, quorum reſtant aliqua tantum fragmenta. Sed hæc jactura non valde deploranda eſt. S. I. 4, *6*. 57. 10, 2. 53. *56*. *64*. II. 1, 17. *29*. *62*. 75.

LUCRETILIS mons Sabiniæ in regione Banduſiæ paulum diſtabat a dextera ripa Curretiæ (vide *Uſtica*). O. I. 18, 1.

LUSTRUM expiationis ritus, quinto quoque anno haberi ſolitum, & in ludis ſecularibus, inſtitutum eſt a Servio Tullo ſexto Rege. Quater Auguſtus luſtrum condidit, I. ineunte anno 30 imperii ſui, II. elapſo 34, III. *39*. IV. 44, paulo ante mortem. O. II. 4, 24. IV. 14, 37. V. 14, *63*. *19*, 115.

LYCÆUS mons Arcadiæ meridionalis inter Alphæum, & Eurotam. O. I. 18, 2.

LYCIA regio minoris Aſiæ inter Pamphiliam, & Cariam, magnam Phrygiam, & Piſidiam ſita, Chimæræ monſtri ignibus infeſtata. Celebris fuit oraculis Apollinis Patarei. Sarpedo & Glaucus Lyciorum duces venere latum auxilium Trojanis. Chimæra erat ejus regionis mons flammas eructans. O. I. *9*, 23. III. 4, *62*. S. I. 7, 17.

LYNCEUS Apharei filius acutiſſima oculorum acie fuiſſe præditus dicitur, & metalla reperiſſe. Hinc fabulæ ferunt, eum perſpexiſſe, quidquid apud inferos fieret. S. I. 2, *90*. E. I. 1, 28.

LYNX eſt fera ſylveſtris ſimilis Cervo, vulgo vocatur *Lupo Cerviere*. eſt ſcutulata, ut Leopardus, acutiſſimo oculorum obtutu inſtructa. O. II. 13, 40. IV. 6, 34.

LYSIPPUS Sicyonius celeberrimus ſtatuarius fuit. Teſte Quintiliano ad veritatem optime acceſſit. Quamobrem Alexander Magnus ab uno Lyſippo ſe fingi voluit. E. II, 1, 240.

M

C. CILNIUS MÆCENAS eques, vir aulicus principalis domus, illuſtri genere natus Aretii in Etruria. *Cilniorum genus præpotens*, ait Liv. lib. 10. Hæc domus in Tribum Pomptinam conſcripta eſt. Hoc nomen Mæcenas Tuſcum eſt, deductum loco Mæcena in Tuſcia, qui ad illam familiam pertinebat. Horatius, Propertius, Pedo Albinovanus, Silius Italicus in eo conſentiunt, ut Regibus Mæcenatem ortum putent. Plerique doctorum ſane generis claritatem nullo modo Mæcenati dandam arbitrantur. Titulos, ſtemmata, imagines, inſignia, aliaque nobilitatis argumenta evidentibus conſignata monumentis cernere vellent. Si ad tam ſeveram trutinam multas alias nobiles domos revocarent, pleraſque certe ad plebejum ordinem dejicerent noſtri Critici. M. Porcius Cato in quibuſdam fragmentis ait, Elbium Vulterrenum prope Vadimonis lacum occiſum anno 445 ultimum fuiſſe Etruſcorum Regem. Præterea Mæcenas, qui honeſto equitis Rom. nomine contentus fuit, paſſus ne eſſet, tam falſa aſſentatione regium nomen majoribus ſuis imponi, ea ætate, qua res, ut erat, patefieri omnibus poterat? Seneca qui illum cenſoria virgula ſæpe notat, hujuſmodi ambitionem certe ſilentio non præteriiſſet. Erat litteratorum virorum Patronus. Varius, Virgilius, & Horatius erant ejus familiariſſimi. Eos & plures alios ſummis beneficiis cumulavit. Hinc Martialis lib. 8. Epig. 56. *Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones*. Primus fuiſſe dicitur, qui rationem inveniret faciendi librorum *ἐπιτομαλοι*, ſcribendique celeriter, quæ per Accilium, aut Aquilam libertum ſuum evulganda curavit. Multa ſoluta oratione, multa numeris adſtricta exaravit opera. Celebrantur duæ ejus Tragœdiæ, & decem libri Carminum, & liber, cujus titulus *Promethea*. Miſſus fuit ab Octavio ad Antonium petitum auxilium

lium contra Sextum Pompejum, & præfectus Romæ, Italiæque per bellum Siculum anno 718 teſte Dione lib. 49.... Seneca Ep. 19 ait „ Ingenioſus vir ille, magnum exemplum eloquentiæ daturus, niſi illud enervaſſet felicitas, „ imo caſtraſſet. „ & Ep. 92. „ habuit ingenium, & grande, & virile, niſi illud ipſe diſcinxiſſet. „ Et ep. 114. „ Quomodo Mæcenas vixerit, notius eſt, quam „ ut narrari ſane debeat; quomodo ambulaverit, quam „ delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia ſua „ latere noluerit.... Non ſtatim hæc (*Mæcenatis locum* „ *ab eo citatum*) cum legeris, hoc tibi occurret, hunc „ eſſe, qui ſolutis tunicis in urbe ſemper inceſſerit? nam „ etiam cum abſentis partibus Cæſaris fungeretur, ſignum a diſcincto petebatur. Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrinque auribus, non aliter, quam in Mimo divites fugitivi ſolent? „..... Vellejus lib. 2. ait „ Dum ultimam bello „ Actiaco Alexandrinoque Cæſar imponit manum, Lepidi ejus, qui triumvir fuerat, Reip. conſtituendæ, filius Junia Bruti ſorore natus, interficiendi, ſimul in „ urbem revertiſſet, Cæſaris, conſilia inierat. Tunc urbis cuſtodiis præpoſitus C. Mæcenas equeſtris, & ſplendido genere natus, ubi vigiliam exigeret, ſane exſomnis, providens, atque agendi ſciens, ſimul vero aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac mollitiis pene „ ultra feminam fluens, non minus Agrippa Cæſari charus, ſed minus honoratus; quippe vixit anguſti clavi „ pene contentus, nec majora conſequi non potuit, ſed „ non tam concupivit. Hic ſpeculatus eſt per ſummam „ quietem ad diſſimulationem præcipitis conſilia Juvenis, „ & mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut „ rerum aut hominum oppreſſo Lepido, immane novi ac „ reſurrecturi belli civilis reſtinxit initium. Et ille quidem male conſultorum pœnas exſolvit „...... Cum nondum Auguſtus rediiſſet ab Oriente, & Agrippa in Galliam, Hiſpaniam, Pannoniam, & Syriam profectus eſſet, Romam, Italiamque adminiſtrandam ſuſcepit. Hoc munus obivit uſque ad Sept. anno 738, quo illud Statilio Tauro reliquit, ut Auguſtum in Galliam ſequeretur. Duas præſtantiſſimas Orationes Agrippæ, & Mæcenatis poſteris tradidit Dio Caſſius, quorum alter ad deponendum im-

perium, alter ad detinendum hortatus eſt Auguſtum, qui utrumque non ingenue conſuluerat. Ille Mæcenatis conſilium ſecutus eſt. Vir ſagaciſſimus novit optime Octavii animum victoriis nedum natura ferocem, & immanem, & præcipue in proſcriptionibus M. Antonio crudeliorem. Cum enim olim Mæcenas illum in tribunali ſedentem diutius, quam par fuerat, plurimoſque morte vel exilio, aut aliis pœnis damnantem, ſibique ob hæc placentem ægre videret, cumque ad eum accedere nequiret, tabulas ante ejus conſpectum conjecit, in quibus ſcriptum legit Cæſar: *ſurge tandem vero Carnifex*: Octavius Mæcenati hæc libere locuto pepercit, cum ſatis compertam haberet ejus erga ſe benevolentiam. Itaque ut eumdem ab immanitate ad manſuetudinem revocaret Virgilii opera uſus eſt, qui idcirco egregios Georgicorum libros edidit, poeticis coloribus, & optimis documentis refertos, atque ubere ſtili melle conſperſos, itemque Horatii, qui divina Carmina, Satiras, & Epiſtolas optimam Philoſophiam, ac leniſſimam redolentes in lucem protulit, quibus ſane operibus veluti potenti faſcino abalienatus Octavii animus dulciſſimis moribus imbutus eſt. Mæcenatis conſilio (ut maxime credibile eſt) ſcripſit Horatius carmen lib. I. O *Navis*, ut Principem a Civium cæde amoveret, & tertium lib. 3, ut eumdem de transferendo in Trojanam urbem imperio dehortaretur; & alia aliis de cauſis. Poſtremis ætatis ſuæ temporibus nonnullas cum Auguſto ſimultates geſſit propter mutuos ejus, ac Terentiæ uxoris ſuæ amores. Angebatur etiam cura propter crebras Liviæ, Terentiæque contentiones de formæ præſtantia. Nimio ille uxoris amore tranſverſus agebatur, quem modo ponebat, modo redintegrabat, ita ut teſte Seneca Ep. 114. „ millies uxorem duxerit, cum unam „ tantum habuerit, modo eam repudians, modo reci- „ piens. „ Idem Seneca in libro de providentia c. 3. ait: „ feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amori- „ bus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia de- „ flenti ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo „ lene reſonantium quæritur? Mero ſe licet ſopiat, & „ aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus men- „ tem attonitam fallat, tam vigilabit in pluma, quam „ ille (Attilius Regulus) in cruce. „.... Toto vitæ ſuæ curriculo perpetua febre conflictatus eſt, qua factum,

ut

Digitized by Google

ut ſenſim tabeſceret, & animi deliquia pateretur. & tres poſtremos vitæ annos duxerit omnino inſomnes..... In Theatro Pompej plauſibus exceptus eſt, quod *volucri fato* evaſerit, ut ait Horatius. Terentia ejus uxor erat Proculei, & Licinii Murenæ ſoror, nullumque ex Mæcenate filium ſuſcepit. Quidam Bathyllus Alexandrinus Pantomimus fuit ejus ignis, & delicium. Tac. lib. 1. Ann. Sed hunc amorem in Mæcenate honeſte attigit Dio lib. 54..... Agrorum tractum in Exquiliis ab Auguſto dono accepit, ubi magnificam domum, & hortos amœniſſimos conſtrui juſſit, & ex eminenti turri tres urbes, ſcilicet Tibur, Æſulam, & *Telegoni parricidæ juga* h. e. Tuſculum proſpiciebat, anno circiter 723.

Non modo Reip. verum etiam domeſticæ ſuæ regendæ totus erat aptus ex ſe. Multi imperium provinciarum gerere ſciunt, domi vero ſuæ plane ignorant. In regendo imperio immenſo occupabatur quidem, non aggravabatur, in rei familiaris cura animum relaxabat, minime vero fatigabat. Cum ſumma rerum poteſtate ſibi commiſſa ſummam etiam comitatem, humanitatemque mire conjunxit. Ejus gratia erat virtutis præmium, non ambitus, non turbulentæ, ſubdolæque agendi rationis. Hujuſmodi morum certa fides tanto viro eos omnes devinciebat, qui illum primo adibant. Tantum aberat, ut alii aliis offendicula invicem interponere ſolerent, ut potius unuſquiſque acerrimum ejus in ſeligendis Amicis judicium admiraretur, illudque ſuis meritis magis magiſque confirmaret...... Natus eſt Mæcenas idibus Apr., quo anno vero incertum. Per 36 annos Octavii amicitiam coluit. 60 & amplius annos natus obiit anno 746, 30 circiter diebus, poſtquam Horatius exceſſit. Conſtituit heredem Auguſtum legatorumque arbitrum, quæ Amicis ſuis reliquerat. Vide Joan. Henr. Meybomium in lib. inſcripto *Mæcenas*. O. I. 1, 1. 21., 5. II. 12, 12. 17, 3. 13. 20, 7. III. 8, 13. 16, 20. IV. 1, 19. V. 1, 4. 3, 20. 9, 4. 14, 5. S. I. 1, 1. 3, 64. 5, 27. 31. 48. 6, 1. 47. 9, 43, 10, 81. II. 3, 312. 6, 31. 38. 41. 7, 33. 8, 16. 22. E. I. 1, 3. 7, 9. 19, 1.

P. MÆCIUS vel METIUS TARPA celeberrimus Criticus laudatur maxime ab Horatio; de eo Cicero meminit Ep. 1. lib. 7. ad M. Marium his verbis; *nobis autem*

tem erant ea perpetienda, quæ ſcilicet P. Mæcius probaviſſet. S. I. 10, 38. E. III. 387.

MÆNIUS prodigus omne patrimonium obligurivit, & tandem vendere coactus eſt domum, quæ in Rom. foro ſibi reliqua fuerat, & cujus tantummodo columnam, ſupra quam tectum injecit, cum provolantibus tabulatis reſervavit ſibi, unde ipſe, & nepotes ſpectarent munus gladiatorium, quod etiam tum in foro dabatur. Aſconius in Accus. contra Verrem. S. I. 1, 101. 3, 21. 23. E. I. 15, 26.

MÆVIUS malus Poeta, inimicus Virgilii & Horatii. Maledicentia ſua ſibi exitium peperit. dicitur Athenis in carcerem ab Athenienſibus conjectus Inedia obiiſſe, quod civitatem carmine petulantiſſimo laceraret, ut ait Ovidius in Ibin. O. V. 10, 2.

MAGNESIA provincia Orientalis Theſſaliæ, quæ patet inter ſinum Thermaicum, & Pelaſgicum. O. III. 7, 18.

MALOBATHRUM eſt planta odorifera indica, quæ in paludibus naſcitur, vocatum *Syrium*, quia ante an. 707, quo Indorum navigatio ab Ælio Gallo Ægypti prætore ordinata fuit, Romani mercatores quæſitum ibant aromata in Syriam, quæ eſt in finibus Mediterranei inter minorem Aſiam, Armeniam, Meſopotamiam, Arabiam, & Phœniciam. O. III. 7, 8.

MANDELA (vide *Uſtica*). E. I. 18, 105.

MANUMISSIO erat libertatis datio, tribus modis fiebat. *Cenſu*, nempe cum ſervus propria pecunia libertatem emebat a domino, & nomen in cenſum deferebat, fiebatque civis. *Vindicta*, cum Dominus Servum benemeritum ducebat ante Prætorem, ejuſque caput, aut aliud membrum tenens ter dicebat: hunc hominem liberum eſſe volo, & mittebat e manu, Prætor vero vindicta, ſeu feſtuca, h. e. virga caput ſervi tangebat dicens quædam verba ſolemnia. *Teſtamento*, cum Dominus ſuprema voluntate in teſtamenti ſerie ſervum liberum ſcribebat. S. II. 7, 76.

M. MARCELLUS ſenior obiit anno 546. Inſubros Gallos vicit, quorum regem Viridomarum captivum fecit. Quinto Conſul fuit, Syracuſas cepit, apud Nolam cum Pœnis congreſſus effecit, ut Annibal ſaltem vinci poſſet, qui nondum victus fuerat. Vocatus fuit enſis Populi Rom. M. Marcellus junior 18 natus annos fuerat ædilis, fuit poſtea

poſtea Pontifex. Erat aſtrum gentis Juliæ, *Julium ſidus*, propter ſibi nuptam Juliam. Nepos erat Auguſti ex Octavia. Filius fuit adoptivus Auguſti, teſte Plutarcho in vita Antonii. O. I. 13, 46.

MARIUS neſcio quis efflictim deperibat quamdam Helladem meretricem, quam demum gladio ſuſtulit, quod ab ea ſe contemni ſentiebat. Quare ejus deſiderio correptus ab eminenti loco ſe in caput devolvit. S. II. 3, 277.

MAREA urbs & lacus Ægypti parum diſtabat Alexandria. Vinum Mareoticum erat fortaſſe idem, quod Athenæus vocat vinum Alexandrinum excellens. O. I. 38, 14.

MARE RUBRUM eſt fretum Oceani meridionalis, ſeparat Africam ab Aſia, ab anguſtiis Arabici ſinus ad uſque ſinum Perſicum extenditur. *Rubrum* eſt vox arbitraria. dicitur etiam Erithræum ab Erithra Rege Perſei, & Andromedes filio, qui in ea regione imperavit. O. I. 36, 32.

MARSA regio circa lacum Fucinum, pars Brutii. Lacus Fucinus hodie appellatur *Capo di Celano*. Optimus peditatus apud Romanos erat Marſus. Hinc adagium, quod refert Appianus: *Triumphum agi non poſſe de Marſis*, *nec ſine Marſis*. O. I. 1, 28. 2, 39. II. 5, 18. III. 5, 9. 14, 18. V. 16, 3. 17, 29.

MARSI cum ſe vectigalibus oppreſſos viderent, & ſpe deſtitutos Romanæ civitatis recipiendæ, quæ ſibi promiſſa fuerat, cum Picentinis, Pelignis, Samnitibus, aliiſque Italiæ populis ſocietate inita anno 663 bellum Romanis indixere. Hinc bellum Italicum Sociale. Duo Conſſ. in eo periere; & duorum annorum ſpatio bis Romani debellati ſunt. O. V. 16, 3.

MASSICUM Oppidum; *Monte Dragone*, in agro Laurenti olim nobilitatum vini præſtantia. O. I. 1, 19. II. 2, 21. III. 21, 5. S. II. 4, 51.

MATINA urbs maxima Salentinorum in Hydruntino agro. O. I. 29, 13. V. 2, 27. 16, 28.

* PAULUS FABIUS MAXIMUS filius fortaſſe Q. Fabii Maximi, quem Cæſar creavit Conſulem anno 708, cum Trebonio Aſpro, Vir eloquentiſſimus, Amicus Horatii, impulit Naſonem jam Patre orbum ad facienda carmina. Fuit Conſul cum Q. Ælio Tuberone. Ad hunc ſcribit Horatius.

ratius. Ille Q. Fabius Maximus, qui fuit Conſul cum Julio Antonio anno 744, fuit ex alia domo, vel libertus Fabiorum, vel filius Pauli ex primis nuptiis. Habuit Paulus ex ſecundis fortaſſe nuptiis Filium Fabium Maximum, ad quem non una Elegia ſcribit Ovidius de Ponto, maritum Martiæ, quæ fuit familiariſſima Liviæ, virum aulicum Auguſti, qui 30 ferme annos natus obiit duobus circiter annis ante Auguſti obitum, ut patet ex Tac. Ann. lib. 1. De hoc habes Hiſtoriam in Plutarchi περὶ ἀδολεσχίας. „ Fulvius vero Cæſaris Auguſti Amicus „ cum jam ſenem eum ſæpius querentem audiret de ſolitudine ſuæ domus, quodque duobus nepotibus fato functis, Poſtumo, qui ſolus reliquus, ex calumnia neſcio qua, exulante, cogeretur uxoris ſuæ filium ad ſucceſſionem imperii vocare, quamquam miſerans, & conſilium captans revocandi ab exilio Nepotis: Cum, inquam, hæc audiret Fulvius, enunciavit ſuæ uxori, illa Liviæ, Livia autem acerbe cum Cæſare egit; cur, quoniam jampridem id decreviſſet, non arceſſeret Nepotem, ſed ſe odio, invidiæque ſucceſſoris objiceret. Venientem igitur, de more, mane Fulvium, & ſolitum illud dicentem Ave, Cæſar reſalutavit, Vale, inquam, Fulvi. Atque ille id intelligens, domum ſe illico ſubduxit, & vocata uxore: Reſcivit, inquit, Cæſar, non ſiluiſſe me arcana, ideo mori mihi decretum eſt. Uxor autem: jure, ait, quoniam tamdiu mecum habitans, vivenſque nec noveris, nec caveris intemperantiam linguæ meæ: Sed præcedam tamen ego, „ & accepto gladio ſe ipſam viro coram interemit. „ Hactenus eleganter Plutarchus: illud minus vere quod Φάλβιον ubique vocat, qui Fabius eſt; itemque quod Marciam interfectam vult ante maritum, cum Tac. lib. 1. Ann. clare vixiſſe eam dicat, & auditos gemitus ejus in funere mariti: ne innocuum Ovidium oneremus, aut potius ipſe ſe, de Ponto:

„ Occidis ante preces, cauſamque ego Maxime mortis,
„ Nec fueram tanti, me reor eſſe tuæ.

Uxor Naſonis erat propinqua Maximi, ſeu uxoris ejus Marciæ: his verſibus:

„ Ille ego de veſtra cui data nupta domo.
„ Hanc probat & primis dilectam ſemper ab annis
„ Eſt inter comites Martia cenſa ſuas.

El.

El. 3. lib. 2. de Ponto. *cenſa eſt*, pro cenſuit. Tangit hanc de Fabio Tragœdiam etiam Plinius. „ Juxta hæc „ abdicatio Poſtumi Agrippæ poſt adoptionem: deſide- „ rium poſt relegationem: Inde ſuſpicio in Fabium, ar- „ canorumque proditiones „. Ovidius in pluribus Elegiis de Ponto nuſquam Conſulatum Filii Fabii memorat, duobus in locis loquitur de ejus Fratre natu majore. Eleg. 10. lib. 1. his verbis: „ Cumque ſui Fratris vires adhibebit: „ & Eleg. 3. lib. 2. „

„ Nec quod ſit primo nobis a tempore cultus,
„ Contendo Fratrem poſſe referre tuum. „

Credibile eſt hunc Fratrem Fabii filium Pauli fuiſſe conſulem cum Julio Antonio. * O. IV. 1, 11.

MEDEA inſinis præſtigiatrix filia Æetæ Colchorum Regis, quæ cum Jaſonem perdite deamaret, facilem illi ad vellus aureum adipiſcendum aditum præbuit, ſopito pervigili Dracone, qui noctes, dieſque illud aſſervabat; quo facto iram Patris metuens Jaſonem in Græciam ſecuta eſt, Patremque inſequentem diſcerptis Abſyrti Fratris membris, & per viam diſperſis retardavit. Eadem ſenem Æſonem Jaſonis Patrem in Theſſalia ad juvenilem ætatem revocavit. Repudiata deinde a Jaſone, qui Creuſam, vel Glaucam Creontis filiam matrimonio accepit, miſit duos filios ſuos Marmarum & Medum, quos ex eo ſuſceperat, ad Caſſandram cum muneribus in arca clauſis ſimulans, ſe velle iram Novercæ placare, (alii dicunt, miſiſſe Creuſæ coronam & veſtem venenatam) qua arca vix aperta a Caſſandra, maxima erupit flamma, quæ regias ædes una cum Creuſa combuſſit. Inde crudelis femina ſuos innocentes filios coram Jaſone occidit, & curru vecta alatis Draconibus Athenas petiit. (vide *Jaſon*) Euripides hac ſuper re Tragœdiam ſcripſit. O. II. 2, v. &c. V. 3, 10. 5, 62. E. III. 123. 185.

MEDIA vetus continebat olim eas regiones, quæ hodie vocantur *Schivran*, *Gilan*, *Irac-Agemi* magna ex parte, & *Eſterabat*. Perſæ ſibi ſubjecerunt Medos, & Parthi poſtea Perſas. Confuſis in unum regionibus, nomina quoque earum commiſta ſunt, & promiſcue adhibentur. Hinc Medi, & Perſæ ſunt Parthi apud Horatium. O. I. 2, 51. 28, 5. 30, 4. II. 1, 31. 9, 21. 16, 6. III. 3, 44. 5, 9. IV. 14, 44. V. 19, 54.

MEDIASTINI vocabantur viliſſimi ſervi, quibus incerta

certa munia imponebantur, eademque ſordidiſſima. Aliorum ſervorum mandata faceſſere debebant: domum verrere, purgamenta efferre, ligna congerere. Ita dicti, quod in media domo ad omnium nutus excubabant, vel quod ad balnea ſtare ſolebant, & in mediis aquis lavantibus miniſtrare. E. I. 14, 14.

MELEAGER filius Penei Chelidoniæ Regis ex Althæa conjuge, quo recens nato viſa ſibi eſt Mater tres Parcas igni accedentes videre, manuque ſtipitem tenentes æqualem puero cum ſtipite vitam aſſignare. Recedentibus itaque Parcis, Althæa extinctum ſtipitem diligentiſſime aſſervavit. Adulto deinde Meleagro, cum ſpreta a Peneo Diana immenſæ magnitudinis aprum immiſiſſet, qui omnem regionem late vaſtaret, Meleager facta robuſtiſſimorum juvenum manu aprum interfecit, caputque ejus Atalanthæ Jaſii Argivorum regis Filiæ, quæ prima aprum vulneraverat, velut partem ſpolii dedit. Quod cum avunculi ſui Pleuſippus, & Toxeus vi puellæ eripere conarentur, utrumque occidit. Nunciata itaque Fratrum morte Althæa doloris impatientia in furorem verſa fatalem illum ſtipitem in ignem conjecit; quo exuſto Meleager etiam exuſtis intus inteſtinis omnibus conſumtus eſt. E. III. 146.

MEMPHIS urbs olim Ægypti regia ab Ogdoo Rege condita, & a nomine filiæ ita appellata. Ejus ambitus traditur fuiſſe 150 ſtadiorum. Sita erat in ora occidentali Nili non longe a Pyramidibus, ubi Nilus in duas ſciſſus partes litteræ Δ ſpeciem præbet. in hujus litteræ acumine ipſa poſita fuerat. Urbis loco hodie ſunt quædam dirutæ domus uſque ad veterem Cairum excurrentes. Venus in ea urbe magnificum Templum habebat. O. III. 26, 10.

SEXTUS MENAS leviſſimus homo Sexti Pompej libertus fuit, anno 714 depopulatus eſt oram Hetruriæ, cepit Sardiniam, & eo redegit Romam clauſo mari, ut Romani pacem petere a Pompejo coacti fuerint. anno 715 compoſito pacis fœdere circa Miſenum hortatus eſt Pompejum, ut duos Triumviros Octavium nempe & Antonium in congreſſu de medio tolleret. Anno 716 Pompejus ſuſpectum habuit Menam de adminiſtranda Sardinia, eumque ad ſe arceſſivit; homo parere noluit imperio, necavit legatos Pompej, & ſe dedidit Octavio, naveſque, &

copias, & Sardiniam, & Corſicam. Octavius eum benevole excepit, legatumque Calviſſi Sabini conſtituit in Claſſe. Ille circa Cumas præclare ſe geſſit, Menecratem Pompejanæ claſſis ducem interfecit. Anno 717 perculit Apollophanem, qui Menecrati ſucceſſerat. Hujuſmodi ſucceſſibus intumeſcens in Siciliam rediit ad amplectendas Pompej partes, quod ſe puderet Calviſii imperio diutius ſubeſſe. Plurima intulit damna Octavianæ claſſi, quæ jam tempeſtatis vi ad Palinurum fracta pene perierat. Horatius in ea fuerat cum Mæcenate. Anno 718 iterum Pompejum deſeruit, quia per eum ſibi non licuerat ire contra Lepidum, & præ ceteris claſſi imperare. Transfugit itaque denuo ad Octavium, a quo liberaliſſime exceptus donatus eſt jure ferendi annuli aurei, equeſque factus, & menſæ honore ſæpe affectus, nulli tamen imperio in Italia præfuit, quia ſæpe fidem deſeruerat, teſte Dione l. 44; *adhibitis, qui clam obſervarent hominem*, ut ait App. lib. 5. Suetonius c. 74 in Aug. ait: „ Valerius Meſſala tradidit, neminem unquam libertinorum „ adhibitum ab eo (Auguſto) cœnæ, excepto Mena, „ ſed aſſerto in ingenuitatem poſt proditam ſexti Pompej claſſem. „ Miſſus eſt in Pannoniam ad obſidendam urbem Siſciam, ubi occiſus eſt anno 719 in levi quodam certamine navali in flumine Colapi. O. V. 4, 1.

MENANDER Athenienſis Poeta novæ Comœdiæ inventor 100 & amplius, vel, ut alii volunt, 80 Comœdias edidit, quarum octo præmio donatæ ſunt. nonnulla tantum fragmenta nobis reſtant. Varias vitæ civilis vices expingebat, & mores. Obiit 50 annos natus vel 52, vel 55, apud Pyræum demerſus eſt in mari. S. II. 13, 11. E. II. 1, 57.

MENENIORUM nomen illuſtre ob Menenium Agrippam, qui primis Reip. temporibus de Sabinis triumphavit, & ſeditionem populi ſedavit celebri illa fabula de bello a membris ſtomacho indicto. Horatii tempore Menenia gens erat in numero amentium hominum. S. II. 3, 287.

MERCURIUS filius Jovis, & Majæ, nepos Atlantis ferebat alas, capiti, & pedibus adnexas. Primos homines e ſylveſtri vita ad politiorem adduxit, eorum animos ſcientiis, corpus exercitationibus inſtruxit. Surripuit boves Regis Admeti Apollini, qui eas cuſtodiebat in Theſ-

ſa-

ſalia. Duce Mercurio Priamus per medios hoſtes currum egit divitibus donis refertum ad repoſcendum ab Achille Hectoris filii corpus. Invenit teſtudinem in Nili ripa, eamque fratri Apollini dono dedit, accepit vero a fratre caduceum, h. e. virgam auream, qua deduceret ad inferos manes. Hermaphroditum ex ſorore Venere genuit, Martem e duris carceribus liberavit, Argum interemit, Prometheum in Caucaſo relegavit. O. I. 11, 1. 25, 18. 31, 8. II. 7, 13. III. 11, 1. V. 19, 44. S. II. 3, 68.

M. VALERIUS MESSALA CORVINUS erat filius clariſſimi Oratoris, cui cognomen Nigro, & qui conſul fuit anno *693*. Familia Valeriorum erat Romæ nobiliſſima. A Valerio Sabino derivabatur, qui fœdus ſancivit inter Romanos, & Sabinos Romulo regnante. Anno 711 Triumviratus initio proſcriptus eſt. Triumviri ejus animi magnitudinem veriti e numero proſcriptorum expunxerunt. Sed noluit tanto benefacto in rem ſuam uti. Poſt Bruti, Caſſiique cladem copiæ ducem elegerunt Meſſalam; ille imperium detrectavit, & tunc Octavii partes amplexus eſt, a quo Magiſter equitum Agrippæ in bello contra Pompejum, inde anno 220 Augur factus eſt. Tandem fuit Octavii Collega in conſulatu anno 723, Conſulque prælio Actiaco interfuit. De Aquitanis, & Salaſſis triumpavit. Romæ regendæ præfuit, lapidibus ſtravit viam in Tuſculo Albam uſque. Appianus de eo dicit: „ Id nunc me„ morare libuit humanæ virtutis exemplum, quando Meſ„ ſala habens in poteſtate proſcriptorem ſuum, late re„ fovit, ut Imperatorem, ſervavitque. „ Fuit ſtrenuus & eloquens. (vide Tibul. lib. 3.) Hoſtiam condidit. Tandem obiit 72 annos natus, anno 757. dicitur paulo ante obitum ille rerum omnium, nominiſque etiam ſui oblitus fuiſſe. O. III. 21, 7. E. III. 370.

METAURI nomen multa flumina ferebant in Italia. Illud, de quo loquitur Poeta, erat in Umbria, naſcitur ex finibus Hetruriæ prope Biturgiam, & a monte Apennino egreſſus fluit Orientem verſus, interfluit Tifernum, Metaurum, & oppidum *Urbateam* dictum; exceptis deinde Candiani, aliorumque rivulorum aquis auctus præterfluit forum Sempronii, & tandem in Sinum Adriacum devolvitur 4 mille paſſ. procul ab urbe Fano ex parte Senogalliæ. O. IV. 4, 34.

P. ME-

P. METIUS TARPA (vide *Mecius*).

METHYMNE urbs in inſula Lesbi occidentali parte contra Promontorium Lectum. Vina methymnæa magni erant. S. II. 8, 50.

MILETUS urbs maritima Joniæ ædificata a Mileto Jovis & Dejones Filio, quam interfluit Lycus. Urbem hanc præſtantiſſimæ lanæ proventus nobilitabant, ex qua fiebant Mileſia ſtragula, quæ ob inſignem mollitiem in proverbium ceſſere. Ibi etiam hujuſmodi lanæ tingebantur præclaris coloribus. E. I. 17, 30.

MIMNERMUS Suidæ Ligyrtiadæ filius, Colophonius, aut Smyrnæus, aut Aſtypalæenſis elegantiſſimas elegias ſcripſit, quarum aliqua tantum fragmenta adhuc extant. Natus Olympiade 37, ideoque ſeptem Sapientibus antiquior fuit. Quidam tamen eodem tempore vixiſſe illum dicunt; vocatus fuit Lygiaſtades propter concinnitatem & dulcedinem Carminum. ſuperabat Callimachum poeſeos vi. E. I. *6*, *65*. II. 2, 101.

MINOS Jovis & Europæ filius, Rex Cretæ, primus Cretenſibus leges dedit. Cum haberet uxorem Paſiphaem, & illa ex Tauro genuiſſet Minotaurum, Dædalum, quod bovem ligneam fabricaſſet, ſub qua latens cum tauro uxor concubuerat, perſecutus, in Siciliam pervenit, ubi a Cocali Regis filiabus interfectus eſt juxta Camerinam urbem, & apud Inferos propter inſignem juſtitiam, vel legum peritiam judex animarum factus eſt. Regnabat 225 annis ante captam Trojam, *633* ante primam Olympiadem, & 410 ante æram Chriſtianam. O. I. *29*, *9*. IV. 7, 21.

MINUCIA via Brunduſium petebatur, ſicut etiam Appia via, quæ melior erat propter Tyrrhenum. Hæc Sabiniam interſecabat, & Ariminum, & conjungebatur viæ Appiæ Beneventi. Nomen deducit a Tiberio Minució Conſule, qui eam ſterni juſſit anno 448, ſeptem poſt annis, quam Appia via ſtrata eſt. Dacierius non ſemel hac ſuper re hallucinatus eſt. Primo enim hanc viam L. Minucio Augurino adjudicat, qui anno 315 Patribus palam fecit nefaria Sp. Melii conſilia, ut regnum occuparet. Scilicet ait, hunc Augurinum ſterni juſſiſſe viam hanc 123 annis ante Appiam, quæ certe prior omnium fuit, & inſuper in iis regionibus, quæ nondum in Romanorum venerant poteſtatem. Secundo contendit, e por-

ta

ta Minucia gradum fieri ad viam Minuciam, a qua profecto illa valde diſtabat. Nam, ut credibile eſt, erat in nona Romæ regione inter Tiberim, & Capitolium. Tertio addit, hanc primam vocatam fuiſſe Minuciam a L. Minucio Augurino. Verum Feſtus aſſerit, hoc nomen illi portæ datum, quod propior erat Fano, & aræ Dei Minucii. Erat etiam in nona illa regione *porticus Frumentaria*, quæ appellata eſt *porticus Minucia*, quia Minucius Augurinus, qui primus omnium præfectus fuit Annonæ, conſtrui juſſit eam anno 315. E. I. 18, 20.

MISENUS promontorium antiquæ Campaniæ. Hujus terminus eſt in Sinu Puteolano ad Occidentem. dictus a Miſeno Æneæ tibicine illic ſepulto. S. II. 4, 33.

MONESES notus eſt Surenæ nomine. Surena enim ſonat Præfectum Parthorum, ſecundum a Rege virum. Præfuit Orodis copiis contra M. Craſſum Syriæ Proconſulem. Exercitus Romanorum n. 100000 prorſus cæſus eſt. 2400 in caſtris internecione deleta ſunt, 10000 in Syriam profugerunt, reliqui vero milites facti captivi. Prælium initum fuit anno 701 inter Zeugmatem & Seleuciam in litorali ora Euphratis. Orodes victorem Moneſen necari juſſit, quia ſe invito pugna commiſſa fuit. O. III. 6, 9.

MOSCHUS erat Orator Pergamenus, qui veneficii accuſatus fuit. Pro eo perorare debebat Manlius Torquatus. E. I. 5, 9.

MUNACIUS (quod conjectura augurari poſſumus) fuit illius Munacii Planci Filius, ad quem ſe convertit Horatius in Carmine *Albus ut obſcuro*. Pater fuit Conſul anno 712, & filius anno 766. Non ſatis conſtat, qua de cauſa Florus, & Munacius diſſiderent. Ex verbis Poetæ colligitur, prava utrumque conſilia ſecreto foviſſe inter ſe invicem, atque animo fuiſſe obfirmato. Communes Amici utrumque conciliaverant, ſed paulo poſt diſſolutum eſt tenue illud amicitiæ vinculum. Amor non ſincerus breviter perit. Fuit Munacius Plancus ſtrenuus dux, militaverat præcipue poſt mortem J. Cæſaris ſub Bruto. Sub idem tempus fortaſſe Horatius eo familiariter uſus eſt. In Ægypto turpiſſimus aſſentator fuit Antonii, & Cleopatræ. Anceps erat, utrum Octavii juſſu cum ceteris ducibus præficeretur Claſſi contra Antonium, an cogeretur ſecedere Tibur in agrum ſuum. Natura ejus per

ſe

ſe levis, qua bis aut ter transfuga fuit, Octavii ſuſpicionibus eum reddere obnoxium debebat; & infida agendi ratio, qua Antonium turpiter deſeruerat, tam indigna viſa fuerat, ut exprobrata eidem fuerit frequenti in Senatu. Credibile eſt, accidiſſe Planco, quod ipſe verebatur, quoniam nulla ejus mentio fit nec in pugna Actiaca, nec in toto hujus belli curriculo. Octavii partes ſecutus eſt anno 722. Fortaſſe Plancus ſe recepit Tibur tempore Actiaci belli. Sed non diu in calamitate vixit. Hortatu ejus nomen Auguſti delatum eſt Octavio anno 727 a Senatu, tribus annis poſt Antonii obitum. Multos poſtea Magiſtratus obivit. Paulo poſt Cæſaris obitum Galliam adminiſtravit, triumphavit initio Triumviratus, fuit poſtea Conſul, & Cenſor. Apparet ex quodam Numiſmate Romæ regendæ præfuiſſe. Ex quadam inſcriptione, quæ Cajetæ viſitur, ad Turrim Rolandi, colligitur, eum deduxiſſe Colonias Lugdunum urbem Galliæ, & in Rauricos prope Baſileam. Ex eo maxime inviſus factus eſt omnibus, quod in ſuo conſulatu proſcribi juſſit ſuum Fratrem Plancum Plotium anno 712. Ejus filius conſulatum conſecutus eſt anno 766. O. I. 8, v. &c. E. I. 3, 21.

MUREX piſcis genus ex concharum genere a purpura diverſus, qui per excellentiam etiam Conchylium dicitur, Ex Muricis humore fit color, qui & ipſe murex, ſive conchylium dicitur. Hoc conchilium eſt veluti in volutam productum, acuminatum, & ſpinis conſitum. Piſciculus ex illo extrahitur, cujus ſuccus eſt aptus ad tingendas lanas. Hujuſmodi Conchiliorum piſcatio fit prope litora Phœniciæ, Africæ, & Laconicæ, & circa aliquot inſulas maris Mediterranei. O. II. 16, 36. V. 12, 21. S. II. 4, 32. E. II. 2, 181.

Antonius MUSA erat libertus Auguſti, Frater Euphorbi medici Regis Jubæ. Plin. lib. 19, c. 8. ait: „ Auguſtus lactuca conſervatus in ægritudine fertur prudentia Muſæ Medici. „ Quare magnam pecuniæ vim munere accepit, donatus fuit jure ferendi annuli aurei. Erecta illi fuit ſtatua prope Æſculapii ſignum. Hinc medici in magnam hominum exiſtimationem venere, & in civium Romanorum numerum cooptati ſunt. Aliquot poſt menſibus idem lactucæ medicamentum, quod Auguſtum ad priſtinam valetudinem reſtituit, Marcellum letho dedit. Hic caſus plurimum Medici famæ detraxit. E. I. 15, 3.

MY-

MYCENÆ urbs Argolidis 12 mil. paſſ. abeſt Argo meridiem verſus, creditur eſſe *Agios-Adrianos*. O. I. 7, 9.

MYGDONII Macedoniæ populi in partem Phrygiæ ſe tranſtulerunt, & loco nomen dedere. O. II. 12, 22. III. 16, 41.

MYRTOUM pelagus pars maris inter Ægæum & Jonium vulgo dicitur *Mar di Mandria*, ita dictum a Myrtilo Mercurii filio, in illud projecto, vel ab exigua inſula non procul a Caryſto Eubœæ oppido ſita. Incipit a Megarico ſinu, Cretamque abluit, & Atticam, occiduamque Cariæ oram; habetque inſulas plurimas Cythera, Calauriam, & quæ Æginam cingunt, & Salaminem, & ex Cycladibus pleraſque. O. I. 1, 14.

MYSI Aſiatici occupabant partem illam Aſiæ minoris occidentalem, quæ patet inter Propontidem, Phrygiam, Flumen Hermum, & Catenam orientalem montis Idæ. Hodie eſt pars Lyciæ. Erant alii Myſi in Europa inter Dannubium, Pannoniam, & Thraciam; occupabant ſcilicet Serviam, & Bulgariam. O. V. 17, 10.

N

NÆVIUS Poeta antiquiſſimus ex Campania oriundus Comœdias ſcripſit, & primum Punicum bellum, in quo ipſe ſtipendia fecit, verſibus Saturninis. Ab Ennio inter Faunos & Poetas Sylveſtres amandatur, quia ejus ſtilus rudis fuit, & dura verſificatio. Obiit anno 549, 35 annis antequam Ennius. Fuit alter Nævius helluo. S. II. 2, 67. E. II. 1, 53.

NARDUS frutex eſt gravi, & craſſa radice, ſed brevi, ac nigra, fragilique, quamvis pingui, ſitum redolente, ut cyperi, aſpero ſapore, folio parvo, denſoque; cacumina in ariſtas ſe ſpargunt. Ex hoc frutice oleum eliciebatur, aut ſuccus, cujus odor gratiſſimus erat. Nardum Indi vendebant Perſis, Perſæ Syris, Syri Romanis. O. II. 11, 16. IV. 12, 16. 17. V. 5, 59. 13, 9.

NEAPOLIS magna urbs & pulchra in agro Laurenti prope parvum ſinum, qui eam alluit ad meridiem una cum Sebetho. O. V. 5, 43.

NEREUS Deus marinus Oceani & Tethyos filius, qui ex Doride uxore eademque ſorore maximam Nympharum tur-

turbam ſuſcepit, quæ a nomine Patris Nereides appellantur. O. I. *16*, 5. O. III. 28, 10. V. 17, 8.

NESSUS Centaurus Ixionis, & Nubis filius, cum ſagitta venenata confoſſus eſſet ab Hercule, Dejaniræ reliquit veſtem ſuo ſanguine tinctam. Illa dono eam dedit Herculi, qui ſimulatque ea indutus fuit, conſumi ſe ſenſit ſacro igne, qui ſub oculorum ſenſum cadere non poterat. O. V. 17, 32.

NESTOR filius fuit Nelei, & Chloridis. Adhuc adoleſcens bellum geſſit adverſum Epeos Peloponneſi populos, deinde cum Pirithoi nuptiis interfuiſſet, adverſum Centauros, qui Hippodamiam rapere conabantur, ſtrenue pugnavit. Poſtremo jam ſenior cum reliquis Græcis Principibus ad Trojam venit, cum jam tertiam hominis ætatem viveret. Idcirco *triſeclisſenex* a Nævio appellatur; ſcilicet *90* annos natus. Conſilii dexteritate tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon non dubitaret, brevi ſe Ilium fuiſſe expugnaturum, ſi decem ſibi contigiſſent Neſtores. Nam, præter ſummam prudentiam ætatis diuturnitate partam, tanta præterea eloquentia excelluit, ut ex ejus ore melle dulcior fluere diceretur Oratio. O. I. *16*, 22. II. *9*, 13. 14. E. I. 2, 11.

NILUS Ægypti flumen fere menſe Junio inundat regionem, & fœcundat agros, influit in Mediterraneum per duo oſtia. Elapſo ſeculo putarunt nonnulli Viatores Jeſuitæ, ſe reperiſſe Nili originem, & impoſuerunt plurimis doctiſſimis viris. Verum ejus origo nondum detecta eſt, cum illa ſupra Abiſſiniam exploranda ſit, quo ire non licet noſtris viatoribus propter eorum populorum inhumanitatem. Pro Nilo accepta falſo fuere duo flumina, quæ in illum volvuntur. (Diſſertation ſur les ſources du Nil pour prouver, qu' on ne les a point encore dècouvertes, per Mr. d' Anville. Memoires de litterature tirèes des Regiſtres de l' Academie Royale des inſcriptions, & belles lettres. T. *26*.) O. III. 3, 48. IV. 14, *46*.

NIOBE filia Tantali, & Eurianaxæ, ſoror Pelopis, Amphionis uxor, & mater multorum filiorum. Illa ſe Latonæ antepoſuit, quæ duos tantum filios genuit. Dea confugit ad Apollinem, & Dianam, a quibus mox omnes Niobes filii occiſi ſunt. Hæc infelix mater tam puſilli fuit animi & fracti in adverſa fortuna, quam arrogantis in proſpera. Dolore enim perculſa in lacrymas ſo-

luta eſt, & a Diis in ſaxum mutata. O. IV. 6, 1. V. 19, 5.

NIPHATES eſt magna montium ſeries in Armenia occidentali, montis Meſii pars. Porrigitur ad Ortum Euphratis inter Araxem & Tigrim. Eſt etiam quoddam flumen hujuſce nominis, de quo loquitur Horatius, quidquid dicat contra Dacierius. Præterquamquod loquitur etiam Poeta de flumine Medo, cujus nomine Parthos intelligit. Niphates eſt Tigris, & Medorum flumen eſt Euphrates: primo veniunt Armeni, ſecundo Parthi. O. II. 9, 20.

NORICIUM erat regio Gallorum Tauriſcorum, quæ continet hodie Bavariam, Auſtriam, Styriam, Carinthiam. derivatur a Noreja, hodie *Naumarck*. Celebre eſt ferri fodinis. O. I. 17, 9. V. 18, 19.

NOVII duo fratres erant liberti. de minore natu loquitur Poeta. Ille fuit Senator, & Tribunus plebis, quemadmodum Tillius. Suetonius in J. Cæſare memorat quemdam Novium Nigrum Quæſtorem, qui fortaſſe fuit horum Pater. Quam probroſum ſanctiſſimo Ordini fuit, ſedentes cerni in ſubſelliis duos Judices immanioribus ſuppliciis dignos, quam quibus alios afficerent? S. I. 6, 121.

NUMÆ ætate impoſitum fuit populo, ſcutum e cœlo decidiſſe velut pignus tutelæ, quam Dii Romæ pollicebantur. XI num. conflata ſunt inter ſe ſimilia, ne eorum exemplar internoſci poſſet, & ſubripi. Aſſervabantur diligenter in templo Martis, & vocabantur *ancilia*, quaſi anciſa, quia cum eſſent figuræ ovalis, carebant angulis. O. III. 5, 10. E. I. 6, 27. II. 1, 86.

NUMANTIA urbs Hiſpaniæ Terraconenſis in loco eminenti ſita; ejus ambitus erat 2880 paſſuum, circa fontem *Durii*. Cernere eſt adhuc ruinas 4 mill. paſſ. infra Soriam in Caſtella veteri Boreali ad radices montium in exiguo loco dicto *Ponte de Garai*, 12 mill. paſſ. a Confiniis Tarraconis occidentem verſus. Hæc urbs inſignis per 8 annos a Romanis obſeſſa fuit, & tandem funditus everſa anno 621 a Scipione Æmiliano, defatigatis jam prius ſex vel patientiſſimis Conſſ. Vocat *feram* Poeta ad ſignificandam incolarum ferociam, qui maluerunt ſibi vitam ferro, igne, veneno eripere, quam in victoris manus incidere. E. II. 12, 1.

NU-

NUMIDÆ cognomentum invenitur in familiis Plotiorum, & Æmiliorum. Hic titulus fortaſſe fuit illis tributus ob præclarum aliquod facinus, quod nos latet. O. I. 37, 3.

NUMIDIA erat olim pars Libyæ ad Boream Africæ, & protendebatur a Borea ad Auſtrum inter Mauritaniam ad Occidentem, & Byzantium Libyphœnicum regionem ad Ortum. O. III. 11, 47.

O

OCTAVIA minor ex Accia, ſecunda C. Octavii uxore, fuit ſoror Octaviani. Altera vero Octavia major ex Ancharia, prima C. Octavii uxore, cariſſima fuit Octaviano fratri. Hæc nupſit M. Marcello, inde M. Antonio. Ex primo peperit M. Marcellum, (qui adoleſcens uxorem duxit Juliam Octaviani filiam) & duas Marcellas, quarum alteram matrimonio conjunxit cum M. Agrippa. Ex Antonio vero duas genuit Antonias. Obiit anno 743 vel 745, dum Auguſtus agebat annum ætatis 54, ut ait Suet. Fuit ipſa optimis moribus clara, ſæpe ſedavit iras fratris & Antonii conjugis, æque dilexit filios, ac privignos. Repudiata fuit ab Antonio Cleopatræ amore inſaniente. Accia ex M. Accio Balbo, & Julia Sorore C. Julii Cæſaris genita eſt. O. III. 14, 7.

1. C. OCTAVIUS natus eſt M. Cicerone, & C. Antonio Conſſ. ex Accia ſecunda C. Octavii uxore. Anno 710 quinque aut ſex abhinc menſibus erat Apolloniæ in Epiro cum Mæcenate, quo magiſtrum equitum eum J. Cæſar miſerat eo conſilio, ut in Parthos irrumperet. Audita J. Cæſaris morte confeſtim Romam petiit hæreditatem aditurus Julii proaviæ ſuæ fratris, ſuique Patris adoptivi. Putant nonnulli eum conſtanter id nominis tuliſſe ab anno 711, quo vulgo ejus adoptio comprobata eſt, & rite ab Senatu confirmata. Agrippa, nec non Rufus Salvidienus ſuum ſtudium, quo Dictatorem proſecuti ſunt, erga Octavium jam adhuc Apolloniæ manentem ſtatim profeſſi ſunt. Ille cauſam ſuam Antonii gratia niſuram eſſe cenſuerat, ſed averſum ſibi ejus animum cum ſenſiſſet, Principes alios viros colere cœpit, qui Conſulem odio habebant, quod Decimum Brutum Mutinæ obſidione tenebat. Exercitum igitur contra Antonium Octobri menſe

per S. C. adornavit. Ambo Conſſ. deſignati Hirtius & Panſa ei ſe junxerunt........

2. Cepit Siiciliam per Agrippam anno 718, & coegit Sextum Pompejum in Aſiam fugere. Militibus ſuis promiſerat ſe diviſurum agros, ſed belli cauſa, quod indicturus erat Antonio, hanc agrorum partitionem in aliud tempus differre coactus fuit. Tandem poſt bellum Actiacum, i. eo tempore, quo Horatius Sat. *6* lib. 2 ſcribebat, copiæ, quas Octavius Brunduſium miſerat, ea de cauſa tumultuabantur. Octavius e Samo diſceſſit, ut eas ſedaret. Ignotum erat Romæ, utrum in Sicilia, an in Italia agri dividendi eſſent.

3. Divortium Octaviæ, amores Cleopatræ, injuſta occupatio Phœniciæ, Syriæ, Cypri, & magnæ partis Arabiæ, aliarum provinciarum, quas Antonius Cleopatræ imperio adjunxerat, Octavium commoverunt ad denunciandum Antonio bellum. [Hujuſmodi quoque cauſæ ab Antonii partibus Titium, Munacium Plancum, Domitium, qui tamen paulo poſt obiit, & alios avocarunt. Romanis perſuaſum erat, victore Antonio imperium in Ægyptum translatum iri. Idcirco ſtatuerunt eum omni dignitate privare, & bello perſequi.

4. Ante pugnam Actiacam potitus eſt Corcyra. Antonii copiæ fugatæ. Agrippa cepit Methonem, Patras, Corinthum & Leucadem. Duo agmina fudit, quorum alteri præerat Aſſidius, alteri vero Soſius. Apud Actium claſſis Antonii pugnavit, cujus pauciſſimæ naves ex hoſtium manibus effugerunt. Altera vero pars, & Claſſis Cleopatræ receſſit, fugit prius Cleopatra cum ſuis navibus, Antonius ratus victam fuiſſe ejus claſſem, Reginam ſecutus eſt cum pluribus aliis jam integris navibus. Illæ quæ certabant, diu poſthac conſtiterunt, donec Octavius accendit ignem Ægyptiis navibus, quarum nullam evaſiſſe non afferit Dio lib. 50.........

5. Anno 724 Menſe Auguſto Alexandriam cepit, Antonium & Cleopatram coegit mortem ſibi conſciſcere, & totam Ægyptum ſubjecit imperio. Fama harum rerum pervenerat Romam Idibus circiter Septembribus. Cur non Horatius carminibus Antonium adverſarium proſcidit? quia temporibus excludebatur. Probe enim ſciebat, Julium Antonium Amicum, & familiarem ſuum Triumviri filium veniam ab Octavio impetraturum, qui ſtudebat ſibi eum

fœdere devincire, devinctumque, ut fecit, beneficiis cumulare. Fortaſſe etiam Octavia nullam infelicis Antonii mentionem fieri jubebat, & omne odium in Cleopatram pellicem ſuam converti. Illud hujuſce rei argumenro eſt, quod Octavius cum inibi eſſet, ut bellum in Antonium ſuſciperet, ejus ſoror non tam animo, quam genere Romana fratrem obſecravit, ut ipſe injurias, quas ab indigno conjuge acceperat, obliviſceretur. Tandem Patres exemplum præbuere Horatio in conſilio, quod de hac re cepere. Propertius in *6.* Elegia lib. 4 rem eandem pari dexteritate pertractavit......

6. Mandavit Proculejo, & Epaphroditi, ut ſibi vivam ſervarent Cleopatram ad triumphum. Nam teſte Plutarcho, „ magnificum ornamentum ducebat triumphi, ſi „ eam adduxiſſet........

7. Dicomas Dacorum rex anno 723 magnas copias Antonio miſit auxilio, teſte Plutarcho. Florus lib. 4, c. 12. ait. „ Cotiſonis Regis imperio, quoties concretus „ gelu Dannubius junxerat ripas, decurrere ſolebant „ (Getæ) & vicina populari. Viſum eſt Cæſari Au- „ guſto gentem aditu difficillimam ſubmovere. Miſſo i- „ gitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam, citra „ præſidia conſtituit „......

8. Ut victoriæ de Antonio relatæ apud Actium monumentum extaret, inſtituit Actia, quæ quinto quoque anno celebrarentur, Cal. Auguſti. Lollii Fratres juvenes præbebant navalis velut pugnæ imaginem.......

9. Julius Cæſar anno *699* in inſulas Britannicas bellum movit. Octavius pluries expeditionem illuc paravit. anno 719 cum jam iter eo intenderet, Pannoniorum & Dalmatarum tumultu avocatus eſt. Illud conſilii recepit anno 727, ſed Inſulenſes ei miſerunt legatos, jam Ariminum profecto, & ea pacis fœdera acceperunt, quæ ipſe arbitratu ſuo voluit imponere. Sed cum ſervata diu non fuerint, fœdifragos ſibi armis ſubmittere cogitavit. ſed rebellio Salaſſorum, Cantabrorum, & Aſturiorum, quæ erupit anno 728 non paſſa eſt, Reip. copias tunc bello Britannico diſtineri. Hiſpaniam igitur petiit, ſuperavit Cantabros, & Aſturios, & Romam regreſſus eſt anno 730, tribus poſt annis, quam abſuit.......

10. Triduo triumphavit anno 725, menſe Auguſto; primo de Pannoniis, & Dalmatis, ſecundo de Victoria

Actiaca, tertio de Ægypto in provinciæ formam redacta ....

11. Anno 740 vel 741 Britanni ſe Auguſto dediderunt. Strabo lib. 4 ait: „ Nunc viri quidam Principes ejus „ loci legationibus, obſequiiſque Cæſaris Auguſti amici„ tiam conſecuti, & dona Diis immortalibus in Capi„ tolio poſuere, & pene propriam Romanis totam inſu„ lam fecere. „ ....

12. Dio lib. 54. anno 738 ait: „ Qui in Hiſpania tu„ multus extiterant, parvo negotio ſunt ſedati: „ Anno vero 739. „ Tunc vero multas in Hiſpaniam colonias deduxit „ Anno 741. „ Auguſtus rebus Gallicis, Germa„ nicis, Hiſpanicisſque omnibus confectis Romam re„ diit. „ ....

13. Sub finem anni 725 Agrippam & Mæcenatem conſuluit de relinquendo Reip. regimine. deliberatum eſt, quod jam præſtitutum animo fuerat, nempe retinendam Principi ſummam auctoritatem. 13, aut 14 menſibus poſt, h. e. primis Januarii diebus anni 727 ſeptimum inivit Conſulatum, ſimulque declaravit in Senatu, ſe tanto onere tandem liberandum eſſe, & ea corporis infirmitate non poſſe tantum ponderis ſuſtinere. Dio lib. 52 & 53 hæc habet: „ Reipſa perſpicitis, me ab initio nequa„ quam potentiam aliquam animo propoſitam habuiſſe; „ ſed hoc vere cupiviſſe, ut patris mei miſere interfecti „ cædem ulciſcerer, urbemque magnis, & continentibus „ malis liberarem.....jam imperium omne depono, re„ ſtituo vobis omnia protinus; ..... recipite jam nunc „ libertatem, & veſtro more Remp. gerite .... „ ipſe enim laboribus, & ærumnis confectus ſum. „ Principis Oratio callidiſſima viſa eſt, & jam bene ceſſit. Seu timore, ſeu adulandi neceſſitate ducti PP. ejus voluntati indulſerunt, poſtulata rejecerunt. Ita ille libenter coactus fuit retinere, quidquid amittere verebatur, & rationem nactus eſt injiciendi validius Reip. frenum, dum libertas oblata communi conſenſione repudiabatur. Animadvertendum tamen eſt, perſuaſum fuiſſe fere omnibus, revera illum ſeſe abdicaturum a regendo imperio fuiſſe. Et ſane plurimi PP. ad priſtinum Reip. ſtatum ſtabiliendum animum convertebant. Princeps vero veritus, ne ſpem ſuam, ac mentem fruſtraretur, in id obnixe incubuit, ut PP. ſuarum partium ſtudioſos eligeret,

apud

apud quos tamquam Judices ſuum conſilium exponeret. Illud quoque addit Hiſtoricus, nempe Suffragiorum conſenſum non impediiſſe, quominus magna fuerit ſententiarum latentium diſſenſio. „ Plurimi etiam (ait Dio) „ exiſtebant, qui popularem Reip. formam, ut turbulen„ tam odiſſent, ac mutationem regiminis adprobarent, „ Cæſariſque imperio delectarentur „ .....

13. Titulus Principis datus eſt ei anno 717, Auguſti vero 16 Cal. Feb. anno 727. „ Cum Auguſti (ait „ Dio) cognomen accepiſſet, ea ipſa nocte Tiberis ex„ undans ita ea omnia, quæ in plano jacerent, Romæ „ loca implevit, ut navigabilis eſſet. „ Septimo Idus Jan. tradita ei fuit ſumma Reip. gubernandæ per decem annos. Patres hanc dignitatem eidem confirmarunt per totidem annos. Anno 736 per annos quinque. Anno 742 per totidem annos. Anno 746 per decem annos. Tandem per totidem annos, anno 766. Anno 718 inter Deos numeratus eſt.

14. Anno 726 dedicavit Apollini templum, & bibliothecam, quam erigi juſſerat in ſuis ædibus in monte Palatino conſtructis. Eodem anno condidit luſtrum........

15. Plures legationes accepit ab Indis, primam quidem Tarracone anno 729, duas alias in Samo annis 734, & 735........

16. Appropinquanti cum copiis Auguſto ſine cæde Parthi ſe ſubmiſerunt. Phraates inſignia reſtituit, & 4 obſides filios tradidit: anno 734.......

17. Prima ejus uxor fuit Servilia P. Servilii Iſaurici filia, ſecunda Claudia P. Claudii filia privigna Antonii vix dum nubilis, at ſimultate cum Fulvia ſocru exorta dimiſit intactam adhuc, & virginem. Mox Scriboniam in Matrimonium accepit nuptam prius ducibus conſularibus viris, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertæſus, ut ſcribit, morum perverſitatem ejus; ac ſtatim Liviam Druſillam Livii Druſi filiam matrimonio Tiberii Neronis matrem Tiberii Claudii Neronis Cæſaris, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, ac probavit unice, ac perſeveranter. Anno 415 ex Scribonia Juliam Filiam habuit, de qua ita Seneca lib. 4, c. 32. de benef. „ Divus „ Auguſtus filiam ultra impudicitiæ maledictum impudi„ cam relegavit, & flagitia principalis domus in publi-

„ cum emiſit : Admiſſos gregatim adulteros , pererratam
„ nocturnis comeſſationibus civitatem, forum ipſum, ac
„ roſtra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, fi-
„ liæ in ſtupra placuiſſe, quotidianum ad Marſyam con-
„ curſum; cum ex adultera in quæſtuariam verſa, jus o-
„ mnis licentiæ ſub ignoto adultero peteret, hæc tam
„ vindicanda Principi, quam tacenda (quia quarumdam
„ rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum
„ potens iræ publicaverat; deinde cum interpoſito tem-
„ pore in locum iræ ſubiiſſet verecundia, gemens, quod
„ non illa ſilentio preſſiſſet, quæ tamdiu neſcierat, do-
„ nec loqui turpe eſſet, ſæpe exclamavit: Horum mihi
„ nihil accidiſſet, ſi aut Agrippa, aut Mæcenas vixiſſet.
„ Sed ei tot habenti millia hominum, duos reparare dif-
„ ficile eſt. „ * Hinc quoque patet, Agrippam, & Mæcenatem ſolitos fuiſſe Principem de pluribus rebus admonere vel per ſe, vel per Virgilium & Horatium: v. g. ne transferretur in Trojam imperium, & de pluribus aliis, de quibus loco ſuo. * ......

18. Clemens videri voluit in plurimos. pepercit Q. Gallo, qui in ſe conjuraverat, triduo obſtitit, ſed ſimulate, proſcriptionis edicto, & multos ſuos adverſarios Collegarum furori ſubtraxit. Meſſalam benevole excepit, Augurem fecit, & legatum Agrippæ in bello Siculienſi, Conſulem & Collegam ſuum juſſit, copiarum imperium ei impertitus eſt in bello Actiaco; pepercit Lepido, qui rebellionem concitaverat in Sicilia, eumdemque Pontificem maximum creavit uſque ad obitum manſurum. In Julium Antonium plurima beneficia contulit, eumdem renunciavit Pontificem, Prætorem, & Conſulem, nuptum ei dedit Marcellam Octaviæ filiam. Soſio & Scauro ignovit. Cenſorem fecit Plancum, qui contra ſe arma tulerat ſub Bruto. Conſulem juſſit L. Seſtium, qui Bruti partes ſecutus fuerat. Suet. in Aug. c. *66.* ait: „ Cæterum
„ & illacrymavit, & vicem ſuam conqueſtus eſt, quod
„ ſibi ſoli non liceret, amicis, quatenus vellet, iraſci.
„ Reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ ſuæ cu-
„ juſque ordinis principes floruerunt, quamquam & of-
„ fenſis intervenientibus. Deſideravit enim nonnunquam,
„ ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam,
„ & Mæcenatis taciturnitatem, cum ille ex levi rigoris
„ ſuſpicione, & quod Marcellus ſibi anteferretur, Mity-
„ lenas

,, lenas ſe, relictis omnibus, contuliſſet: & hic ſecretum de comperta Murenæ conjuratione, uxori Terentiæ ,, prodidiſſet. ,, Sed dum aliis benefecit, ſuæ potius, quam alienæ proſpexit utilitati: *exſaturatam crudelitatem* vocat Seneca ejus clementiam.

19. Anno 734 cum Præfecturam morum ſuſcepiſſet, legem J. Cæſaris inſtauravit de maritandis ordinibus, quæ præmio afficiebat eos, qui uxorem duxerant, pœna autem cælibes, eo conſilio ſcilicet, ut cæde bellorum civilium infrequentem urbem ſuppleret, ut ait Dio lib. 54. anno 738. Anno vero 762 alteram juſſit per Conſſ. M. Papium Mutilum, & Q. Popæum ſecundum, ut ait Iſid. lib. 5. Prima vocata eſt lex Julia, altera vero lex Papia. Idem antiquas leges pene obſoletas renovavit, quæ vetabant civibus cælibatum: *cælibes eſſe probibento*. Juſſit legem Juliam de ſtupris, adulteriis, & lenociniis: per hanc venia dabatur Patri, ac Marito, ſi deprehenſam filiam & uxorem cum ipſo adultero interemiſſent. Obiit anno 767, Conſſ. Sex. Pompejo, & Sex. Apulejo; anno 15 poſt J. C. natum, 14 Cal. Septemb. Ille igitur ſupremum in urbe principatum tenuit unum & 40 annos. O. I. 2, 50. 16, 1. 32, 1. 36, 31. 38, 16. 20. 23. II. 12, 11. III. 4, v. &c. 8, 18. 14, 3. 5. V. 9, 7. 19, 19. 36. S. II. 6, 55. E. I. 18, 61. II. 1, 1. 15. 3, 2. III. 124.

OLYMPICI LUDI dicti ab Olympia Elidis urbe celebrabantur ſingulis quaternis annis Olympiæ in Peloponneſo. Hinc Olympias curſus 4 annorum. Qui lucta pugnaturi erant, ungebantur oleo corpore toto, ſpargebantur etiam valde minuta arena, ut facilius elaberentur adverſarii manibus. Diſcus erat ſpecies patinæ maximi ponderis, quæ, teſte Euſtathio, conſtabat ex ligno, vel petra, vel ferro, vel ære. Erat figuræ rotundæ, & lenti vitreæ perſimilis, ideſt craſſior in medio, quam in oris. Diſcoboli eum vibrabant nulla lorij ope uſi, & lineam curvam jactu deſcribebant metam verſus, quam petebant. Ita manu ſumebatur, ut ejus ora inferior manu teneretur, & ſuſtineretur 4 digitis in anteriorem partem incurvatis, dum ejus ſuperficies poſterior nitebatur pollice, vola, & parte anterioris brachii &c. Victores in ludis coronabantur frondibus oleæ ſylveſtris, poſitas ſibi ſtatuas videbant, primum locum occupabant in concionibus,

bus, publicis impenſis alebantur toto vitæ curſu. Hujuſmodi ludi inſtituti ſunt ab Hercule 24 annis ante captam Trojam, 432 ante Olympiadas, 1209 ante æram Chriſt. (de ludis Olympicis vide Memoires de litterature, des inſcriptions & belles lettres &c. T. 3. Diſſert. de Mr. Burette) O. I. 1, 3. S. II. 2, 13. E. I. 1, 50.

ORBILIUS PUPILLUS Beneventanus militia ſe abdicavit, & humanioribus litteris docendis ſe tradidit. Scholam aperuit Romæ anno 691, 50 annos natus. Hac ſua litterarum inſtitutione tantum nominis aucupatus eſt, ut ſibi ſtatua publicis impenſis poſita fuerit. Severiſſimus erat, ut ipſe Horatius, qui eam ſcholam plures annos frequentavit, teſtatur. (vide Suet. de Lat. Gram.) E. II. 1, 71.

ORESTES Agamemnonis & Clytemneſtræ filius, & Electræ frater in Areopago accuſatus de matricidio 12 Deos habuit Judices. Æquatis utrinque ſuffragiis abſolutus eſt. Furiæ eum inſectari deſierunt, ideo eis litavit, vocavitque Eumenidas, ideſt propitias. Pilades filius Strophii erat nepos Oreſtis, & ejus amicus. Electra erat tertia Agamemnonis filia. Multi Poetæ Tragœdias compoſuere de Oreſte: *ſcenis agitatus Oreſtes*. O. II. 13, 36. S. II. 3, 133. 137. E. III. 124.

ORICUS erat civitas, & portus Epiri Septentrionalis in angulo, qui appellatur *Canina*, e conſpectu Apuliæ. Ibi naſcitur terebinthus, nigrum lignum habens, & ſolidum in buxi ſpeciem. Condita fuit teſte Plinio a Colchis in parva inſula, quæ conjungitur continenti. O. III. 7, 5.

ORION ſidus decem, & ſeptem Stellis conſpicuum prope Taurum non procul ab Urſa. Ejus ortus & occaſus procellas portendunt. Occidit ſub finem Novembris. Antequam in ſidus mutaretur, violare conatus eſt Dianam, ſed ejus ſagittis confoſſus eſt. Adoleſcens venatui deditus erat. Indoles & ingenium in unoquoque hominum non modo inter vivos, verum etiam apud Inferos ſervari traditur. O. I. 29, 21. II. 13, 39. III. 4, 71. 27, 18. V. 11, 10. 15, 7.

ORPHEUS filius Apollinis, & Calliopes Muſices, & Poeſeos peritiſſimus inſtituit Orgia; diſcerptus eſt a Bacchis, quod caſte vivendi rationem inculcaret. Moiſis ætate vivebat, 1450 annis ante J. C. N. Hymni, quos fal-
ſo

ſo Orpheo tribuimus, ſunt cujuſdam Onomacriti, qui Piſiſtrato regnante florebat. E. III. 392.

L. Roſcius OTHO annis 4 ante conſulatum Ciceronis legem promulgavit, qua locus equitibus decerneretur in Spectaculis Circi in 14 ſedilibus a populi ſejunctis. Prima ſedilia ex 14 tribuebat equitibus genere claris, non iis, qui hanc dignitatem ſibi pepererunt gratia, vel officiis. lex erat: *quicumque quadringenta ſeſtertia poſſident, eos in quatuordecim gradibus inter equites ſpectandi jus eſto.* Orcheſtra Senatoribus, equeſtria equitibus, cavea plebi aſſignabatur. O. V. 4, 16. E. I. 1, 58.

P

PACORUS major natu ex triginta Filiis Orodis præfectus fuit adhuc adoleſcens copiis, quas Rex miſit ad deprædandam Syriam poſt Craſſi cladem duce Oſace. Labienus, qui poſt mortem magni Pompej ad Parthos confugerat, Pacorum reduxit in Syriam cum potenti exercitu, & Romanis hanc provinciam abſtulit. Sed Ventidius anno 717 illam recuperavit; relata inſigni de Parthis victoria inter Orientem, & Euphratem, ubi Pacorus, & Labienus vita privati ſunt. Id contigit eodem anno, quo Moneſes Craſſum profligarat. O. III. 6, 9.

PACTOLUS Lydiæ flumen a monte Tmolo deſcendit, ſuas Hermi aquis miſcet, & cum eo influit in Ægæum mare inter Smyrnam & Phocæam. Chrœſi ætate illud flumen arenas aureas ferebat, quibus maxime Rex diteſcebat. Sed Strabonis tempore aureæ illæ arenæ nullæ erant, ut ipſe ait lib. 13. Tamen proverbium adhuc perduravit: *tibi Pactolus fluit*. h. e. tu es dives, ut Chrœſus. O. V. 15, 20.

PACUVIUS Brunduſinus Ennii nepos Poeta tragicus illuſtris, Græcorum Poetarum lectione ingenium illuſtravit, quorum opes in ſuum ſanguinem, ac ſuccum convertit. Cic. in Orat. ait: *Omnes apud hunc ornati ſunt verſus*. Hic teſte Quintil. gravitate ſententiarum, verborum pondere, auſteritate Perſonarum clariſſimus fuit. Prope nonagenarius diem obiit ſupremum Tarenti. vivebat 156 circiter Olympiade. E. II. 1, 56.

PADUS fluvius e gremio Veſuli montis celſiſſimum in cacumen elati finibus Ligurum Vagienorum viſendo fonte pro-

profluens, condenſque ſeſe cuniculo & in Forovibienſium agro iterum exoriens nulli amnium claritate inferior in mare Adriacum volvitur non longe Ferraria. O. V. 16, 28.

PALINURUS eſt promontorium in lateribus Principatus meridionalis prope antiquam Veliam. Horatius cum Mæcenate Octavii claſſe vectus in Siciliam iturus contra Pompejum illic naufragium fecit. Octavii claſſis vix profecta e ſinu Puteolano ut ad Siciliam appelleret, violenta tempeſtate in rupes Lucaniæ impegit, ubi pleræque naves colliſæ ſunt. O. III. 4, 28.

PALLAS Jovis filia in ſua ægide, quæ pelle caprina operiebatur, inſculpi juſſit caput Meduſæ. Ægis erat ſcutum, aut thorax Deorum. O. I. 6, 15. 7, 5. 13, 20. 16, 11. III. 4, 51. V. 10, 13.

PALUS SATURA inferior Palude Pontina apud Volſcos in veteri Latio excurrebat ab Oſtio Sturæ uſque ad Circæum. Hæ duæ paludes Roma diſtantes 40 & amplius mill. paſſ. irrigabant multa prata alendis equis idonea. S. I. 6, 59.

PANÆTIUS Philoſophus Stoicus Rhodius, Diogenis familiaris, Scipionem Africanum minorem habuit Diſcipulum cum Lælio. Scripſit de officiis vitæ civilis. Cicero ſecutus eſt eum in præſtanti ſuo opere, quod poſteris reliquit de officiis. O. I. 30, 14.

PANDORA miſſa fuit a Jove ad puniendum audacem Prometheum. Ferebat illa vas, quo clauſerat omnium morborum ſemina. Prometheus dono diffidit, illudque recuſavit. Sed Epimetheus ejus Frater incautus vas accepit, & aperuit; hinc illa malorum illuvies. O. I. 3, 30.

PANTILIUS ſcurra erat, & paraſitus. vocatur *cimex* a Poeta, quia fœdus erat, & graveolebat. S. I. 10, 78.

PAROCHI ſeu COPIARII omnium rerum neceſſariarum copiam legatis publice miſſis in via præbebant, nempe hoſpitium, ligna, ſalem, fœnum, paleam, & alia legibus conſtituta, aut pecuniam numerato dabant, qua hæc emerentur: ex ærario publico hi ſumtus fiebant. Deinde hac ſuper re vectigal provinciis impoſitum fuit. S. I. 5, 46.

PAROS inſula ex Cycladibus una, marmore albo celebris, in ea natus eſt Archilochus. O. I. 20, 6. E. I. 19, 23.

PAR-

PARRHASIUS celeber pictor Epheſius, filius & diſcipulus Evenoris, caſtigato, & eleganti penicillo tabulas delineabat, & præſertim τὸ πάθος ad vivum exprimebat, ſed faſtu has ingenii dotes deturpabat. Cum Zeuſide in certamen picturæ deſcendit, &, cum ille detuliſſet uvas pictas tanto ſucceſſu, ut in ſcenas aves advolarent, ipſe detuliſſet linteum pictum, traditur, ita veritate ipſa repræſentata, ut Zeuſis alituum judicio tumens flagitaret, tandem remoto linteo oſtendi picturam; atque intellecto errore concederet palmam; quoniam ipſe aves fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem. O. IV. 8, *6*.

PARTHI populi a Scythia profecti ingentem Aſiæ regionem incolebant, quæ continebat Parthiam proprie dictam, Hyrcaniam, Margianam, nempe (*il Coroſan occidentale*, *il Maſcharderan*, *o Tabiſtan*, *il Ghilan*, *e una gran parte dell' Irac-Agemì*). Hoc imperium ſtetit 480 annos circiter ſub 29 Regibus, quorum primus fuit Arſaces, & ultimus Artabanus quartus, qui victus eſt ab Artaxerſe Perſarum Rege anno circiter 228 æræ Chriſt. Parthi mendaces erant. Deceperunt enim Craſſum ſimulantes ſe velle cum illo de pace agere. Polliciti ſunt ſe miſſuros captivos, & inſignia, ſed plurium annorum moram præſtandæ fidei interpoſuerunt. Deinde fugientes hoſtem deludebant. Malo ſuo Romani didicerunt, nullam Parthis fidem adhibendam. Hinc proverbium: *Parthis mendacior*: dicunt Itali *più bugiardo d' un Gallo*. O. I. 2, 21. 13, 53. 20, 12. 22, 55. II. 13, 18. III. 2, 3. 9, 41. IV. 5, 18. 15, 7. 23. V. 7, 9. S. II. 1, 112. 206.

PAULUS ÆMILIUS conſul pugnavit apud Cannas, quo Collegæ Terentii Varronis temeritate adductus fuerat. Ibi ſtrenue confiigens vulneribus perfoſſus periit. O. I. 13, 18.

PAUSIAS eximius Pictor teſte Varrone & Plinio: diſcipulus fuit Pamphili, & Apellis coævus. Claruit præſertim in pingendis floribus. S. II. 7, 95.

PEDUM oppidum Latii inter Præneſte, & Tibur ſitum prope Aquam Claudiam paulo inferius Scaptia. Tibullus villam poſſidebat, quæ ſibi reliqua fuerat ex paternis, in agro Pedano: ſed tunc Oppidum corruerat. E. I. 4, 2.

PEGASUS equus alatus Neptuno & Meduſa a Perſeo occi-

occiſa natus. Hic cum in Helicona evolaſſet, ſaxum ungula feriens, fontem aperuit, qui ex eo Hippocrenes, idem fons caballinus appellatus eſt. Poſtea vero cum ex Pirene Corinthio fonte biberet, a Bellerophonte, qui id temporis expeditionem in Chimæram parabat, captus eſt. Cum eo uſus Bellerophon cœlum ſcandere vellet, dejectus fuit in terram, equus autem inter ſidera annumeratus eſt. Dicitur ſpectare Arabicum circulum, pedibuſque æſtivo orbi adnixus extremo ore caput Delphini tangere, & Aquarii manum dexteram cervici ſuæ adjungere. O. I. 28, 24. IV. 11, 27.

PELIGNI, ſive SAMNITES incolebant Brutium Meridionale, in regno Neapolitano ex parte Sulmonis inter Aternum, & Sarum. O. III. 19, 8. V. 18, 8.

PELIOS & OLYMPUS ſunt duo Theſſaliæ montes. Primus ſeparabat Macedoniam a Pelaſgiotide, nempe *la Veria dalla Janna*. Alter erat ad angulum Magneſiæ. Primus vocatur *il monte Laca*, alter *il monte Patras*. Horatius omittit montem Oſſam, quem Propertius & Ovidius Pelio & Olympo interponunt. Pelios eſt parvus, Olympus maximus. O. III. 4, 52.

PELOPS Tantali Phrygiæ regis, & Taygetes filius in Elidem ſe recepit, ubi eo tempore regnabat Œnomaus, qui unicam habebat filiam, nomine Hippodamiam, & forma eximiam, & regni totius heredem, iiſque nominibus a procis plurimis ambitam. Verum Œnomaus cum Oraculo edoctus eſſet, fore ut Generi opera interiret, duriſſimam hanc procis conditionem tulit, ut qui nuptiis filiæ potiri vellet, ſecum prius curuli certamine contenderet; ea lege, ut victorem filiæ ſuæ conjugium & regni hereditatem, victum mors maneret. Cum itaque jam complures equorum celeritate ſuperaſſet, necique tradidiſſet, Pelops Myrtilum aurigam ejus pretio corrupit, ut fragiles currui axes ſubjungeret. Quo facto Œnomaus cum curru corruit, membriſque omnibus ea ruina colliſis mortuus eſt. Pelops deinde talem Myrtilum in mare dejici juſſit. Hac duplici perfidia nixus & conjuge potitus eſt, & regno, & univerſam Cherroneſum de ſuo nomine Peloponneſum appellavit. O. I. 6, 8. II. 13, 37. V. 18, 13.

PENTHEUS & LYCURGUS, quorum alter filius Echionis, & Agaves, alter vero Ædonorum rex in Thracia filius

filius Dryantis injuriam fecere Baccho, ideoque pœnas dedere ſceleris. Primus quidem cum Bacchi Orgia contemneret, laceratus eſt a Matre, & ſorore, & ceteris Bacchis, alter vero cum vites ſuccidi juſſerit, furore correptus in mare ſe præcipitavit, vel, ut alii perhibent, ſuum filium occidit, & ſibi abraſit extrema corporis membra. O. II. 19, 14.

PENULA & CAMPESTRE erant duo Veſtimentorum Romanorum genera. Primum quidem erat pallium longum, & anguſtum, quod in ſumma tantum parte aperiebatur, & ſupra tunicam aſſumebatur. Illac inducto capite induebatur veſtis, eoque conſilio, ut pluviam & frigus a corpore arceret. Alterum vero erat ſubligaculi, vel femoralium genus, quo utebantur luctatores in campo Martio. E. I. 11, 18.

PHÆSTON filius Solis & Climenes cum a Patre impetraſſet, ut uno die currus ſui habenas ſibi permitteret, aurigandique imperitus cœlum & terram combureret, a Jove fulmine e curru excuſſus in Padum fluvium decidit. O. IV. 11, 25.

PHILIPPENSI prælio ſecundo peracto alii publica venia in rem ſuam uſi ſunt, alii vero claſſem conſcenderunt Domitii, & Murci, qui ſe junxerunt Sexto Pompejo contra Antonium & Octavium. Horatius abjecto ſcuto fugit Romam verſus. Forte Pompejus Groſphus navi Murci exceptus eſt, & iterum belli periculis ſe objiecit. „ Mortuo Bruto ſtatim multitudo militum impunitate ſibi propoſita ſignum ad Victores tranſtulit...... reli„ qui ad mare profugerunt, ac deinde Sexto Pompejo ſe „ conjunxerunt. „ Dio lib. 47. anno 712. „ Cn. Domi„ tius Ahenobarbus, qui ex Philippenſi pugna effugerat „ parata claſſe Jonium mare tenebat, ac multa rebus „ hoſtium damna inferebat. lib. 48. an. 713. „ Statius „ Murcus, qui claſſi, & cuſtodiæ maris præfuerat, cum „ omni commiſſa ſibi parte exercituum, naviumque Sex„ tum Pompejum petit. „ Vell. Paterc. lib. 2. O. II. 7, 9.

PHILIPPI urbs Phthiotidos in Theſſalia provinciæ exiguæ in ſinu Pelaſgio, vocabatur olim Dathos, vel Thebæ Pthioticæ. Philippus Macedonum rex eam inſtauravit, & a nomine ſuo Thebas Philippi nominavit. O. II. 7, 9. 15. III. 4, 46.

PHI-

PHILIPPUS Amyntæ filius Macedonum Rex clariſſimus dux fuit, & Alexandri magni Pater. Sed magis clandeſtinorum conſiliorum, & pecuniæ vi, quam armorum dilatavit imperium. Cicero ait: „ Philippus omnia caſtel„ la expugnari poſſe dicebat, in quæ modo Aſellus auro „ onuſtus poſſet aſcendere. „ Macedoniæ regnum, quod anguſtis antea finibus continebatur, adeo ampliavit, ut 150 nationes in Macedonum regno numerarentur. Militiam didicit ab Epaminonda, vicit Phocenſes, Thraces, Pæonios, Illyrios, Bœotos, Athenienſes. A Pauſania quodam juvene interfectus eſt, qui cum de ſtupro ſibi per vim ab Attalo illato apud Regem queſtus eſſet, & pro rei indignitate ultionem poſtulaſſet, ſeque etiam a rege derideri animadvertiſſet, iram in eum convertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo Judice ſumſit. O. III. 16, 14.

L. MARTIUS PHILIPPUS eximius genere, ingenio, eloquentia, & virtute bellica. Jure igitur ad Conſulatum pervenit, & Cenſuram anno 667. Ejus Filius, qui fuit Conſul anno 698 ſocer fuit Auguſti, nam in matrimonium accepit Acciam Juliam viduatam ex morte C. Octavii Macedoniæ Prætoris. E. I. 8, 46.

PHOCÆA urbs Joniæ poſtrema in ora inter Cumam ad Boream, & Smyrnam ad Meridiem, ex qua 25 mill. paſſ. recedit, apud oſtia Hermi fluvii. hodie *Foggia vecchia*. Incolæ hujus urbis patrium ſolum communi conſilio relinquentes, ne in Perſarum ditionem inciderent, ſe non reverſuros jurejurando additis devotionibus, & execrationibus polliciti ſunt, & in Galliam profecti Maſſiliam urbem condiderunt. Hinc ortum adagium *Phocæenſium execratio*, de jurejurando multis legum vinculis adſtricto. Phocæi Aſiæ populi differunt a Phocidis populis in Europa. Primi vocabantur Phocæi vel Phocæenſes, poſtremi vero Phocenſes. Hi Phocæi relicta urbe ferream maſſam in mare dejecerunt, & execrationibus validiſſimis ſuam fidem obligarunt, fore ut tunc in Patriam redirent, quum illa ferrea moles aquæ innataret. Bis Phocæi patriam reliquere. Primo anno 164; iterum 40 annis poſt. De hoc ſecundo Phocæorum diſceſſu loquitur Horatius. Romani anno 365 direpta a Gallis urbe hoc conſilium, quod Poeta proponit, capere voluerunt. O. V. 16, 17.

PHRA-

PHRAATES Orodis filius extincto Pacoro Fratre natu majore regnum accepit a Parthis ; ſed cum omnes ſuos Fratres, plurimoſque viros principes, Patremque etiam decrepitum de medio ſuſtulerit, & immania quæque patrarit, in Parthorum odium venit, & a plurimis aulicis viris derelictus eſt, qui ad Antonium transfugerunt, inter quos etiam fuit Moneſes, quem poſtea Antonius ſuſpicione ſibi injecta inſidiarum ad Phraatem remiſit anno 718. Regno depulſus eſt a Parthis, qui in ejus locum Tiridatem ſuffecerunt anno 719. Sed auxiliantibus Scythis Tiridatem ſolio dejecit, & Regnum uſurpavit anno 724. ille tandem Auguſto ſe ſubdidit anno 734, miſit inſignia, & captivos, quos a Clade Craſſi, Antoniique retinebat, & everti juſſit trophæa, quæ ex duabus illis victoriis erexerant Parthi, & 4 filios ſuos legitimos dedit obſides, in quorum numero erat Vono, qui poſtea in demortui Patris locum ſublectus eſt. Tradidit etiam duas filias, & 4 fratris filios. Nam timebat Parthorum ſeditiones, quos ope Auguſti ſperabat ſe in officio continere poſſe. Tacitus initio lib. 2. Ann. ait: „ Phraates cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat, haud „ perinde noſtri metu, quam fidei popularium diffiſus. „ Quadrageſimo Regni anno a Termioſa vel Tecmuſſa uxore & Phratace vel Phraate filio occiſus eſt. O. II. 2, 17. 9, 18. III. 8, 19. E. I. 12, 27.

PICENTINI erant Colonia Sabinorum, qui, Piceno relicto, Campaniæ parte potiti ſunt, nempe parte meridionalis Principatus occidentali. Salernum erat caput regionis totius. S. II. 3, 272.

PIERII Thraciæ populi inter Neſſum, vel Meſſum, & Coſſinites ingreſſi Cydnum, inde Thermæum ſinum, ſedem poſuere inter Aſtræum, & Olymphum. O. III. 4, 40. 10, 5. IV. 8, 20. E. III. 405.

PILA quadruplex erat. Follis, Trigonalis, Paganica, Harpaſtum. Follis erat pilæ genus conſtans ex aluta vento inflata, bracchio impellebatur in auras, ſi erat magnus, ſi parvus, pugno. Trigonalis pilæ genus minimum, quam tres luſores in figura trianguli conſtituti alter ad alterum mittebant, vel ita dicta a trigone, qui erat locus in thermis pilæ ludo deſtinatus, a triquetra figura nomen habens. Paganica erat corio cooperta, plena plumis, & dura, mediæ magnitudinis inter primam &

ſecundam. Harpaſtum pila minima, quæ extorquebatur manibus ejus, qui eam arripuerat. S. I. 4, 71. 5, 49. II. 2, 11. E. III. 380.

PINDARI nomen atque Œſtri perinde eſt. Hic Poeta Thebanus lyricorum longe princeps inſignis eſt dicendi impetu, tractuum immenſitate, multiformis volatus rapiditate, exquiſita ordinis perturbatione, digreſſionum felicitate. In ſuis Odis multo minus rem propoſitam deſerit, quam communiter putant. Heroum veterum, quos celebravit, gloria non erat tota ac propria, partem ſibi vindicabant optimo jure familiæ, ex quibus ortum duxerunt, partim urbes, in quibus nati, & innutriti ſunt. Hæc urbs, dicebant, præmium retulit Olympicis ludis. Cum igitur Pindarus antiqua repetebat memoria ſive avos, ex quibus natus, ſive urbem, cujus civis erat victor, non abs re id faciebat. Horatius ſumma cum admiratione de Pindaro loquitur, eumque præcipue laudat propter Dityrambos, qui temporis injuria deperditi ſunt. Horatii judicio tota antiquitas concinit. Plato, qui nunquam in ſuſpicionem venit adulandi Poetas, Pindarum Diis propius, quam mortalibus accedere putabat. Sed cur hujuſmodi admiratio in legendo Pindaro paucos capit? quia, opinor, græcorum verſuum lyricorum (nec non latinorum) atque una tibiarum, lyræque armoniam & concentum, ne dum linguæ græcæ decus ignoramus. Ipſe enim ad ſummum perfectionis apicem perduxit vivarum vocum armoniæque vim, ac gratiam, quæ duo maxime in deliciis erant apud veteres Poetas, & quæ maximas vires habere debebant in lingua græca ſatis per ſe divite, ac Muſicæ aptiſſima. Scripſit lingua Dorica Olympia, Pythia, Nemæa, Iſthmia, quæ extant. Pluribus de cauſis difficilia captu ſunt ejus opera, nempe propter magnitudinem, penitiſſimumque ſenſum notionum, quas ipſa continent, propter figurarum audaciam, & verborum novitatem, propter varias, & reconditas eruditionis opes, quas ex hiſtoria quarumdam familiarum, atque urbium eruit, quarum vices aliquam partem communes erant cum tota veteri hiſtoria. Dici poteſt de Pindaro, quod de Simonide Phœdrus lib. 4. fab. 24, 7.

„ Exigua cum frenaret materia impetum,
„ Uſus Poeta more eſt ac licentia.

Audiamus demum Quintilianum, qui lib. 10. c. 1. ait:

„ Omni-

„ Omnium vero lyricorum longe Pindarus princeps, beatiſſima rerum, verborumque copia, & velut quodam „ eloquentiæ flumine, propter quæ Horatius eum merito „ credidit eſſe inimitabilem. „ Gravina hæc ferme habet: „ Pindarus propellit navim ſuam in mare, pandit omnia „ vela, audacter ſeſe objectat procellæ, & ſcopulis. „ Undæ ſeſe extollunt, jamjam navim abſorturæ. Jamque ille „ e ſpectantium oculis dilapſus eſt. Cum ecce repente ex „ aquarum ſinu emergit, feliciterque ad litus navim appellit. „ Ejus gratia Lacedæmonii in reliquam Bœotiam ſævientes, Thebis pepercerunt, & Alexander cum eas everteret, edicto cavit, ne Poetæ domus ullam partem læderetur. In hac urbe ortus eſt 65 Olympiade, 500 annis ante J. C. N. O. IV. 2, 1. 8.

PINDUS & HELICO montes Muſis ſacri quorum alter ſejungit Epirum ab Theſſalia, quoad integram earum regionum longitudinem, alter vero eſt in Bœotia occidentali Phocidem inter & ſinum Corinthium. Hemus mons in Thracia, ubi Orpheus, Linus, Muſæus orti ſunt. O. I. 13, 5. 6. E. II. 1, 218. III. 296.

PISONUM tres vel quatuor erant familiæ ſub uno Calpurniorum nomine a Calpo Numæ filio. Ex earum una erat C. Piſo maritus Plancinæ, qui accuſatus, quod veneno Germanicum necaverit, ſeſe interemit. Hic duos filios reliquit Cn. & Marcum. Erat ille ingenio feroci, & violento, teſte Tacito. ex eorum familia, qui Cæſonii vocabantur, deſcendebat L. Piſo Cenſor, cujus filiam Calpurniam uxorem duxerat J. Cæſar. Hujus L. Piſonis filius, de quo Horatius loquitur, conſul fuit cum Druſo Libone anno 739. duos habuit filios, triumphavit de rebellibus Thracibus debellatis an. 743. Poſt Statilium Taurum Romam gubernavit annos 20. & Pontifex Maximus 80 annos natus obiit an. 786. Magnis laudibus effertur a Vellejo. „ De quo (ait hiſtoricus) viro hoc omnibus „ ſentiendum, ac prædicandum eſt, eſſe mores ejus vigore, „ ac lenitate mitiſſimos: & vix quemquam reperiri poſſe, „ qui aut alium validius diligat, aut validius ſufficiat „ negotio & magis quæ agenda ſunt, curet ſine ulla oſtentatione agendi. „ Valde diſſimilis fuit Patri, cujus ſcelera Cicero longa Oratione inſectatur. E. III. 6. 291. 384.

M. OTTACILIUS PITTOLAUS, vel Pitholeon libertus

Ottacilii verſus facere auſus eſt adverſus J. Cæſarem. Græcus homo e græcis Poetis multa furabatur, & tanquam ſua venditabat. S. I. 10, 22.

PLATO Philoſophus dulciſſimis moribus inſtructus, Academicorum Princeps poſt mortem Socratis. Ejus opera divina vocantur propter doctrinarum, & eloquentiæ præſtantiam. Natus eſt anno primo 88 Olympiadis, & obiit primo Olympiadis 108, annum ageus ætatis 80. S. II. 3, 11. 4, 3.

PLAUTUS ex Umbria Sarcinas obiit Romæ anno 570, & ante J. C. N. 184. Laudatur ab Horatio in primis, quod a propoſito ſibi argumento nunquam diſcedat, quod properet ad fabulæ ſolutionem, quod ſpectatores tædio affici non patiatur; ſed non omnes ejus facetiæ laudantur. E. II. 7, 58. 170. III. 54. 270.

PLECTRUM erat quædam pinna acuminata, qua armabatur medius degitus dexteræ manus, & qua tangebantur teſtudinis chordæ. Quo craſſior erat pinna, eo graviorem ciebat ſonum. Caprinis unguibus fere conſtabat. O. I. 27, 11. II. 1, 40. 13, 27. IV. 2, 33.

PLEJADES ſunt ſeptem ſtellæ collocatæ inter caudam Arietis, & genua Tauri. Oriuntur in Æquinoctio Martii, latine Virgiliæ dicuntur. Fuerunt Atlantis filiæ ſeptem ex Plejone Nympha, cum qua Jupiter concubuit. A Diis inter aſtra poſitæ ſunt, ut liberarentur ab Orionis vexatoris impetu. Hyades erant Plejadum ſorores. O. I. 3, 14. IV. 14, 21.

POLEMO erat juvenis Athenienſis incontinens, quem olim diſſoluta ratione Xenocratis Scholæ caſu accedentem cupido inceſſit Philoſophi audiendi. Tunc egregius vir converſo ſermone de temperantia agere aggreſſus eſt tanta ſententiarum vi, ut Polemo ad meliorem frugem reverti ſtatuerit. Jamque corollas lacerare, & Philoſophiæ operam dare, adeo proficere, ut Xenocrati ſucceſſerit, & poſt Platonem tertius Academicæ Scholæ Princeps extiterit. S. II. 3, 254.

POLLIO litteratus vir illuſtris, Politices ſciens, bellator magnanimus poſt pugnam Pharſalicam bellavit ſtrenue in Hiſpania contra Sextum Pompejum, imperavit legionibus in Gallia paulo poſt Dictatoris obitum. Triumphavit de devictis Dalmatis. Antonius ad ſuas eum partes pellexit, eo familiariter uſus eſt, ejus fidei ſuam cauſam tradidit

didit in Brunduſii confœderatione ineunda, ubi præclara Pollio miræ dexteritatis documenta dedit. Arma cepit in Gallia Ciſalpina ad obſiſtendum copiis Octavii, quæ obſeſſum venerant Peruſiam. Auguſtus omnem lapidem movit, ne Conſul Pollio nominaretur. Potuit quidem impedimento eſſe, quin ille ante Septembrem munus obiret; paucis menſibus poſt coegit eumdem magiſtratu abire. Anno 715 poſt triumphum non egreſſus eſt Italia. Neutram partem ſe ſequi ſimulavit. Hæc agendi ratio curas plurimas Octavio injecit, qui ſæpe multa & grandia pollicitus eum obſecravit ad proficiſcendum ſecum in Actium. Ferox reſpondit hæc Pollio: „ Mea in Antonium majora „ merita ſunt, illius in me beneficia notiora, itaque di„ ſcrimini veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris. „ Scilicet inter eum, & Antonium occulto conveniebat. Idem temporis opportunitatem arrepturus evigilabat. Cum claſſis utraque congreſſa eſſet apud Actium, ille ſubito arceſſivit ad ſe eos omnes, qui Antonio favebant Romæ, & in tota Italia, ut Amici cauſam corroboraret, Octavii infirmaret. Sed fruſtra. Fuit idem Orator, Poeta, Hiſtoricus celeberrimus. Ejus hiſtoria bellorum civilium in 17 libros dividebatur. Laudata fuit a Quintil., a Valerio Max. ex elocutionis puritate, & ſtili dignitate. Obiit anno 766, uno ante Auguſti mortem. O. I. *6*, 5. *16*, 33. II. 1, 14. S. I. 10, 42. 85.

POMPEJUS GROSPHUS, ut ferunt, fuit Pompej libertus. Illi poſt pacem apud Miſenum compoſitam dono dedit Auguſtus, aut Mæcenas plura prædia, aut reſtituit ea, quæ antea ille poſſidebat in Sicilia. Commendat eum Horatius Iccio, qui in Sicilia reditus Agrippæ colligebat. O. II. *16*, 7. E. I. 12, 22. 23.

PONTIFEX MAXIMUS verba Religionis pronunciabat, Veſtalis Virgo religioſo ſilentio uſa eum comitabatur uſque ad Capitolii faſtigia. O. III. 30, *9*.

PONTUS erat regio Aſiæ minoris propter oram meridionalem Ponti Euxini. Urbs princeps Ponti vocabatur Heraclea Mariandinorum. Ligna quæ a montibus Ponti devehebantur, erant aptiſſima conſtruendis navibus. O. I. 15, 11.

PORSENA rex Cluſii in Etruria, ut Tarquinios ad regnum reveheret anno 248 ad invadendam Romam cum potenti exercitu profectus eſt. Ex parte Janiculi jamjam-

que inibi erat, ut intraret, niſi virtus Horatii Coclitis, & Mutii Scævolæ, & Clæliæ eum repuliſſet. O. V. 16, 4.

PORTICUS Athenis picta erat a Polignoto, ubi Zeno coram diſcipulis philoſophabatur. Hinc ille Stoicus appellatus. Hæc Philoſophia ita ſuperbum efficiebat hominem, ut ſibimetipſi & rationi imperare ſe poſſe crederet. Verum hoc imperium Philoſophicæ temeritatis index erat. Illa imago Virtutis humanas vires ſuperantis inutiliter talis ſapientis animum torquebat. Stoicum ſapientem cupiditatum expertem ſimilem diceres trunco exſucco. S. II. 3, 44.

PRÆCONES dicti a præcinendo, quod ante canant, & denuncient, quod eſt faciendum. Ii juſſu Magiſtratus publice aliquid ore divulgabant; Senatus conſulta prædicabant, poſtea quam decreta erant judices & candidatos ſuis nominibus appellabant, litteras in Senatu legebant, bona, quæ proſcribebantur, publicæ auctioni proponebant, & proclamabant, & pretia conficiebant. O. V. 14, 12. S. I. 6, 86. E. I. 7, 56. III. 419.

PRÆNESTE urbs Latinorum 18 millibus paſſ. diſtabat ab urbe inter Labicum, Æſulam, Trebiam, & Vitelliam in vertice montis ſita, ubi frigidulus aer flabat. Condita fuit a Præneſto Ulyſſis, & Circes filio. Erilus filius Deæ Feroniæ ſucceſſit in regnum, & Cætulus Vulcani filius fuit alter conditor, quia eam rurſus ædificavit, ac muniit. O. III. 4, 23. E. I. 2, 2.

PRÆTEXTA erat veſtimenti genus oblongum, pallio ſimile, ita dicta, quod ei purpura prætexebatur. S. I. 5, 36.

PRIAPUS & SYLVANUS Dii ruſtici. alter erat hortorum cuſtos, alter limitum in agris. Ille Filius Bacchi, & Veneris, natus Lampſaci in Troade, hic Saturni vel Fauni filius. O. V. 2, 21. S. I. 8, 2.

C. PROCULEJUS erat Eques Rom. ingenio, liberalitate, & maximo erga Auguſtum ſtudio clarus, quem in bellis contra Sextum Pompejum, & Antonium ſecutus eſt. Vitam egit tranquillam. Auguſtus ei mandavit, ut Cleopatram ſibi vivam ad triumphum reſervaret. Eum electurus erat ſibi generum, ſed tandem Juliam nuptum dedit Marcello juniori. Antonius morti proximus Cleopatram hortatus eſt, ut ſe crederet Proculejo ad impetrandam pacem. Colebat ille litteratos viros. Benevolus in ſuos

Fra-

Fratres patrimonium inſumſit in reſarcienda damna, quibus ipſi Pompejum ſecuti propter civilia bella fuerant obnoxii. Fratres ejus fuere Terentius, & Licinius Murena, qui & Varrones dicti, & Murenæ deinceps. Habuit & ſororem Terentiam, quæ nupſit Mæcenati. Terentius anno 729 claſſi imperavit contra Salaſſos populos Alpibus propiores. Deſignatus fuit Conſul ad annum 731, & obiit antequam Conſulatum iniret. Licinius anno 732 vel 734 ſtulte cum Fannio Cepione contra Auguſtum conſpiravit. Ejus Frater Proculejus, & Mæcenas levir fruſtra obnixi ſunt, ut veniam ei impetrarent. Exilio multatus eſt, & inde necatus. „ Proculejus in maximo ſtomachi dolore gypſo poto conſcivit ſibi mortem. „ Plin. lib. 39. ſect. 59. O. II. 2, 5.

PROCYON ſidus tribus ſtellis conſtans, Canis ortum prævertens, dicitur a Cicerone *Antecanis*. Oriebatur Horatii ætate idibus Juliis, XI diebus antequam Canicula, quæ oritur 4 & 20 horis antequam Canis. O. III. 4, 6.

PROGNE & PHILOMELA fuere Pandionis regis Athenarum filiæ. Prima nupſit Tereo Thraciæ, & Phocidis regi, & conjugi epulanda dedit membra Ithys, aut Ithyli, ut Sorori Philomelæ illatam injuriam ulciſceretur. Tereus mutatus eſt in Upupam, Progne in Hyrundinem, Philomela in Luſciniam, & Ithys in Phaſanum, vel in Carduelem. Variant tamen Poetæ in his fabulis narrandis. O. IV. 12, 5. E. III. 187.

PROMETHEUS Japeti filius, & Deucalionis Pater e luto ſtatuam finxit homini ſimilem. Ut eam animaret, cœlum ſcandit ope Palladis. Rapuit ignem face, quam radiis Solis admovit, & intulit terris, & inde animam ſtatuæ præbuit. In hujuſce ſacrilegii pœnam Dii eum Caucaſo ligari juſſerunt, ubi Aquila ejus viſcera devoraret, quæ quotidie renaſcebantur ad æternandum ſupplicium. Æſchylus Tragœdiam hac ſuper re ſcripſit. O. I. 17, 13. II. 13, 37. 18, 35. V. 18, 15.

PROSERPINA filia erat Cereris, uxor Plutonis, Inferorum Regina. Veteres putabant, neminem poſſe obire, niſi Proſerpina vel per ſe, vel per Atropon illi capillum prius reciderit. Hoc ritu cenſebantur mortales Plutoni ſacri. O. I. 29, 20. II. 13, 21. V. 17, 2. S. II. 5, 110.

PROTEUS Rex Ægypti ab Hiſtoricis, a Poetis Deus

marinus Oceani, & Tethyos filius vocatus. Phocæ ejus fidei commiſſæ ſunt. Cognitio etiam futuri, & rerum reconditarum illi tributa eſt. E. I. 1, 86.

PYLOS oppidum agri Meſſeniaci in tractu occidentali Peloponneſi, hodie vocatur *Belvedere*. Sunt tres urbes, quæ *Pylos* nomen ferunt. Ad meridiem erat Pylos Meſſeniaca, ad Boream Pylos Elæa, inter utramque Pylos Triphiliaca. E. I. 16, 22.

PYRAMIDES notæ in Ægypto diverſis in locis exiſtunt. Aliæ tribus leucis diſtant a Cairo, aliæ remotiores, & aliæ 20 leucis diſtant a Memphi. Sunt moles maximæ quadratæ, ita ſtructæ, ut e lato in acutum tendant. ſtructuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, faſtigiatæ ultra omnem excelſitatem, quæ manu fieri poſſet, ſub quibus ſepeliebantur reges. Inter primas tres maxime præcellunt, inter ultimas una, quæ longior eſt tribus, vel quatuor decempedis, quam tres priores. O. III. 30, 2.

PYRRHA filia Epimethei, & Pandoræ, & uxor Deucalionis, qui regnabat in Licaonia in Theſſalia, ubi erat Parnaſſus. Eo tempore diluvium totam regionem cooperuit, & præbuit anſam Poetis comminiſcendi multa. Id accidit anno ante æram Chriſt. 1529. O. I. 2, 6. 5, 3. III. 20, 2.

PYRRHUS Epirotarum Rex clariſſimus accitus a Tarentinis adverſus Romanos vario eventu pugnavit. Tria prælia commiſſa ſunt; primi victoria penes illum, alterius anceps, tertii penes Romanos, qui eum prorſus fuderunt. Conſul M. Curius Dentatus ejus copias concidit apud Beneventum, eumque in Epirum recedere coegit ſeptimo anno poſtquam illinc diſceſſerat. Id evenit anno 480. Periit ictu tegulæ percuſſus, cum Thebas cepiſſet. O. III. 6, 35.

PYTHAGORAS Mneſarchi aut Mamarchi filius ex quadam Etruriæ inſula oriundus erat: aliqui in Samo natum putarunt, quod illic ejus pater diu moratus fuerit. Vixit ſub rege Servio Tullio, aut potius ſub Tarquinio Superbo. Crotonem receſſit, quo ad eum magna diſcipulorum copia confluxit, & obiit 90 annos natus juxta aliquos, aut 105 juxta alios. Sui ipſius teſtimonium proferre ſolebat ad comprobandam μετεμψύχωσιν. Cum olim Argis in templo Junonis vidiſſet Scutum, quod Menelaus

a bel-

Digitized by Google

a bello Trojano reverſus, parieti affixerat, illud abſtraxit dicens, ſuum fuiſſe hujus belli tempeſtate, cum Euphorbi Pantoo prognati nomen ferebat. Hinc Horatius *renatum* eum vocat. Sed Pythagoras non fuit μετεμψυχώσεως autor. Ea opinio Ægyptum totam pervaſerat multo ante ejus obitum. Euphorbus occiſus eſt a ſuis civibus. *Iterum orco demiſſum*. Sed animadvertendum eſt Archytam eo loci ita loqui, ut palam faciat, ſe tandem reſipuiſſe, & errorem depuliſſe. O. I. 29, 10. V. 15, 21. S. II. 4, 3. 6, 63. E. II. 1, 52.

Q

QUINQUATRIA feſta Minervæ. Hæc Dea, ut ajunt, nata eſt 14 Cal. Apriles. Jam vero quatriduo poſt, nempe 10 Cal. aliud feſtum celebrabatur vocatum *ſubluſtrium ſacrorum*, quia piabantur muſica inſtrumenta, quæ in ſacris faciendis adhibebantur. Hæc duo feſta poſthac conjuncta ſunt additis duobus feſtis, quibus ſeparabantur. Feſta majora, & minora Minervæ colebantur. Prima præcipue diſcipulorum cauſa, qui iis diebus ſtudia intermittebant; altera vero idibus Junii, ſub eodem nomine, licet unius vel trium dierum ſpatio durarent. (T. Liv. lib. 9. c. 30.) E. II. 2, 197.

QUINTILIUS vir emunctæ naris, Virgilii amiciſſimus erat. Ejus mortem cecinit Poeta, miratuſque judicium acre. Obiit anno circiter 730. O. I. 25, 5. 12. E. III. 438.

QUINTIUS HIRPINUS ex antiquiſſima nobiliſſimaque gente oriundus, quæ poſt everſam Albam Romam migravit. Hæc gens in Patriciarum numerum a Tullo Hoſtilio adſcita eſt, & in quatuor familias diviſa per quatuor cognomina, nempe Capitolinum, Cincinnatum, Flamininum, Criſpinum. Familia etiam Plebeja ex hac gente extitit, ex qua fortaſſe iſte Quintius derivatur. Iſte affectabat honores, vitia ſua celabat, ut populi ſuffragia aucuparetur. Non ſatis conſtat, quo pacto, & qua de cauſa cognomen Hirpini familiæ adjectum fuerit, quod ſumtum eſt ab Hirpinis Apuliæ populis. Fuit Conſul an. 745, & in exilium pulſus an. 752 propter infame cum Julia commercium. Rodellius errat, cum dicit, eum morte multatum tribus annis poſt ſuum conſulatum. Ex eorum

rum numero, quibus ſe Julia conſtuprandam dedit, Julius Antonius ſolum necatus eſt, alii in exilium pulſi. O. II. 11, 2. E. I. 16, 1.

TITUS QUINTIUS cognomento Atta, quod vitioſis pedibus aut cruribus erat, vel quod plantis extremis ambulando inſiſteret, & terram magis attingeret, quam ambularet, togatas comœdias exemplo Afranii ſcripſit. Obiit Romæ Olymp. 175. E. II. 1, 79.

R

RÆTI & VINDELICI antiqui Illyrii occidentalis partem occupabant. Primorum regio patebat inter lacum Conſtantienſem, & foſſam Corbulonis, & Œnum. Auguſta Vindelicorum primaria urbs erat. Hos populos confligere auſos Druſus fugavit, & ob hanc victoriam Prætor factus. O. IV. 4, 17. 14, 15.

REGIUS MORBUS græce ἴκτερος, quod mulſo (quod genus potionis in regum deliciis erat) curaretur, vel quia eo morbo affectos apparatu regio, h. e. lecto, & conclavi cultiore, & ludis, laſciviaque uti perutile eſt, per quæ mens ægrotantis exhilararetur. Dicebatur etiam aurigo, vel aurugo, a colore auri, quem bilis per totum corpus diffuſa repræſentat. Arcuatus quoque morbus appellatur, quod cœleſti arcui ſit concolor. Galbalus vel Galbula avis eſt flavis pennis inſignis, quæ ſi aliquandiu a quopiam ex morbo regio laborante ſpectetur, ſanatur æger, & avis emoritur, ſi credis Plinio. (Plin. lib. 40. c. 14.) Hanc avem Itali vocant *Lorione*, *Rigogolo*, quæ uvis matureſcentibus calamis, & retibus capitur. E. III. 453.

M. ATTILIUS REGULUS rarum magnanimitatis exemplum adverſus Patriam, fidelitatis in promiſſis, in ſuppliciis conſtantiæ. In primo bello Punico, poſtquam Carthaginenſium Claſſem fudit, victis tribus ducibus terra cepit 400 circiter urbes partim, partim oppida. Romam miſit 32000 captivorum, tandem obſidione cinxit Carthaginem, & nihil ſibi propius eſſe vidit, quam ut, confecto tandem bello, potenti illa urbe potiretur. Sed Xantippus Lacedæmoniorum dux opem tulit obſeſſis, & Romanas res ad incitas compulit. Exercitus protritus eſt, 30000 hominum in caſtris cæſa, captivi fuere 500, vel potius

potius 5000, & Dux ipſe in hoſtium manus decidit. Hujuſmodi calamitas ſplendidiorem effecit illius magni viri virtutem, quam proſperi ſucceſſus. Quinque annis poſt Pœni cum eum obligata fide Romam miſiſſent, ut de redimendis, commutandiſque captivis ageret, obnixe Romanos dehortatus eſt ab hoc fœdere ſanciendo, quod perniciofum Patriæ judicaverat. Carthaginem rediit, ut fidem exſolveret; crudeliſſimis ſuppliciis conflictatus occubuit. O. I. 13, 37. III. 5, 13.

RHENUS ab Alpium Rhæticarum jugis erumpit tribus fontibus. In tria cornua ſcinditur circa Batavorum fines, quæ nominantur Lacca, Vualis, & Iſala, quorum poſtremum olim nullum erat, ſed a Druſo adverſus Germanos bellum gerente ducta foſſa ad mare factum eſt, ut regionem a barbarorum incurſu tutaretur. Mirum igitur non eſt, ſi Virgilius vocat Rhenum bicornem. S. I. 10, 37.

RHODOS Aſiæ inſula in mari Carpathio, 160 mill. paſſ. eſt ejus ambitus. O. I. 7, 1. S. I. 10, 22.

ROMA caput olim Italiæ. Inter monumenta antiquorum Regum erat Numæ domus, & ſepulchrum. Illa erat ad ſiniſtram Tiberis, ad radices montis Palatini, hoc vero ad dexteram in Janiculo. Templum Veſtæ erat prope domum Numæ, in medio foro, inter colles Palatinum & Capitolinum. Urbs eſt ad ſiniſtram Tiberis, & quia terra eſt depreſſior ex illa parte, idcirco magis obnoxia eſt inundationibus. O. I. 2, 15. 16. 18. III. 3, 44. 5, 12. 29, 12. IV. 3, 13. 4, 73. 14, 44. V. 16, 2. 19, 37. S. I. 6, 76. II. 1, 59. 6, 23. 7, 13. 28. E. I. 2, 2. 8, 12. 11, 21. 16, 18. II. 1, 61. 103. 2, 41. 65. 87. 256.

ROMANI ſolebant alligare fœnum cornibus boum ferocium, ut obvius quiſque ab iis caveret. Id in proverbium abiit adverſus eos, qui aliis obeſſe ſolent. Plutarchus ait de Craſſo. „ Valebat antea Craſſus gratia, & „ terrore. Terrore quidem non minus ac gratia. Sicin- „ nius enim, qui ſuæ ætatis magiſtratibus, & tribunis „ plebis plurima negotia faceſſivit, ei, qui quæſierat, „ quamobrem Craſſum ſolum non laceraret, ſed eum „ præteriret, quia, inquit, fœnum habet in cornu. S. I. 4, 34.

ROSTRA vocabant ſuggeſtum in medio foro, ex quo Oratores concionem habebant. Ita dicta a roſtris navium,

quas

quas Antiatibus victis rapuerunt. His roſtris ſuggeſtum ornarunt. S. II. *6*, 50.

RUBI parva urbs Apuliæ 20 millibus paſſ. Canuſio diſtabat. In agro Rubio vimen molliſſimum naſcebatur, quo fiſcinæ texebantur. (Virg. lib. 1. Georg. v. 226.) S. I. 5, *93*.

P. RUTILIUS RUFUS Præneſtinus cum Prætor eſſet ad exercitum Bruti confugerat, poſtquam ab Octavio Triumviratus tempore proſcriptus eſt. Invidus fortunæ tam exiguæ Horatii, qui creatus fuerat Tribunus militum, nunquam ceſſabat humilitatem generis ei exprobrare. Contumelia erat vilis, & ſordidi animi index. Hinc *pus atque venenum*. S. I. 7, 1.

RUSO dupliciter eos enecabat, quibus mutuam dabat pacuniam, fœnore, & operum ſuorum lectione. S. I. 3, *86*.

S

SABINORUM regio præter recentem Sabiniam continebat olim aliquam Brutii partem, & *Ducatus Spoletini* regionem, quæ vergit ad meridiem Neræ. O. I. 10, 7. 23, *9*. II. 18, 14. III. 1, 47. 4, 22. E. I. 5, 27. 7, 77. II. 1, 25.

SABURRA ROMÆ regio inter Exquilinum, Viminalem, & Quirinalem, quo ſecedebant fere meretrices triobolares. O. V. 5, 58.

SACERDOTES ISIDIS, & CYBELES erant Mendici arte. Peram ferentes humeris urbem percurrebant, domos intrabant, & ſæpe religionis larva magna celabant crimina. S. I. 2, 2.

SALAMINA inſula in ſinu Œnopio vocatur hodie l' *Iſola di Coluri*. O. I. 8, 7. 15. *16*, 23.

SALERNUM urbs Picentinorum meridionalium. E. I. 15, 1.

,, CRISPUM (Tac. lib. 3. Ann.) equeſtri ortum lo-
,, co C. Salluſtius rerum Rom. florentiſſimus auctor ſororis
,, nepotem in nomen adſcivit. Atque ille, quamquam
,, prompto ad capeſſendos honores aditu, Mæcenatem æ-
,, mulatus, ſine dignitate Senatoria, multos triumpha-
,, lium, conſulariumque potentia anteit. Diverſus a ve-
,, terum inſtituto, per cultum, & munditias; copiaque,

,, &

„ & affluentia, luxu propior. Suberat tamen vigor ani-
„ mi, ingentibus negotiis par; eo acrior, quo ſomnum
„ & inertiam magis oſtentabat. Igitur incolumi Mæce-
„ nate proximus, mox præcipuus, cui ſecreta imperato-
„ rum innicerentur, & interficiendi Poſtumi Agrippæ
„ conſcius, ætate provecta ſpeciem magis in amicitia
„ principis, quam vim tenuit; idque & Mæcenati acci-
„ derat: fato potentiæ raro ſempiternæ: an ſatias cepit
„ aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam
„ nihil reliquum eſt, quod cupiant? „ Nominat eum Seneca inter intimos Auguſti lib. 1. de Clementia. „ i-
„ gnovit abavus tuus victis; nam ſi non ignoviſſet, qui-
„ bus imperaſſet? Salluſtium, & Coccejos, & Duillios
„ (vel Dellios vel Deillios) & totam cohortem inte-
„ rioris admiſſionis ex adverſariorum caſtris conſcripſit. „ O. II. 2, 3. S. I. 2, 48.

SAPPHO nata eſt Mithylene, quæ eſt caput Lesbi inſulæ. Ita adamavit Phaonem, ut ſe ex rupe Leucadis in mare dejecerit, cum aliter amoris ignem reſtinguere nequiret. Ejus ingenium erat facile, & elegans, & maxime ad naturam factum, quod illa omni eruditionis genere locupletavit. Amicæ hujus Poetriæ erant fere omnes extraneæ, nec illa unquam amorem Lesbiarum feminarum ſibi conciliare potuit, nec earum zelotypiam extinguere. Multis carminibus queſta eſt de hac injuſtitia. Multa opera ſatirica edita ſunt, quibus ejus fama lacerata eſt. Cum illa ſuum Fratrem Coraxum amore meretricis Doricæ, aut Rhodopes captum, & impudicitiis inquinatum aperte, & conſtanter ſugillaverit, cumque Mitilenæi ejus imaginem plurimis numiſmatis inſculpſerint in maximi obſequii argumentum, facile inducimur, ut credamus, calumniatores honeſtis ejus moribus tenebras offundere conatos fuiſſe. Multa ſcripſit lyrica carmina, quæ fere omnia injuria temporum, inſcitiæque interciderunt. O. II. 13, 25. E. I. 19, 28.

SARDINIA inſula in mari Tyrrheno, undecim habebat portus, & ex 42 civitatibus, quibus olim clara erat, dum Romanis parebat, octo tantum numerat. Ejus primaria eſt hodie Calaris in ora Orientali. O. I. 32, 4.

SARDIS caput Lydiæ Pactolo inſiſtens ad radices montis Tmoli, 15 leucis Smyrna diſtabat. Crœſus filius Alyattæ non tam divitiis innotuit, quam rerum eventibus.

Hic

Hic cum ſe omnium mortalium feliciſſimum jactaret, monitus eſt a Solone, neminem ante cineres beatum dicendum, quod, quoad vivimus, periculum ſit, ne inſtabilis hujus mundi felicitas dolore aliquo contaminetur. Quam Solonis ſententiam veriſſimam eſſe, Crœſi calamitas poſtea declaravit. Victus enim a Cyro, pyræque impoſitus tandem ſalubre Solonis conſilium agnovit, ejuſque nomen ſæpius inclamavit. Unde admiratus Cyrus, quinam eſſet Deorum, hominumve, quem ille in extremo periculo invocaret, remque totam edoctus, humanæ viciſſitudinis memor Crœſum incendio liberavit, ſummoque ſemper apud ſe in honore habuit. Id contigit an. 212, tempore Tarquinii Superbi. E. I. 2, 2.

SATURNALIA erant dies feſti dicati Saturno, qui in comeſſationibus, aliiſque ſolatiis tranſigebantur. Romani exuebant togam, & convivali veſte induti in publicum prodibant; ſibi invicem munera elargiebantur: alea permittebatur; Senatus, forum, gymnaſia conticeſcebant; Pueri feſtum annunciabant, rurſum prorſum curſitantes, & clamitantes: *Io Saturnalia*. Antiquitus celebrabantur 15 Cal. Sept. Julius Cæſar addidit duos dies huic menſi & Saturnalibus inſeruit. Auguſtus quartum diem adjecit: Imperator Cajus quintum vocatum *Juvenālia*. His quinque diebus continebatur etiam ille, qui Rheæ cultui debebatur, dictus *Opilia*. His quinque diebus acceſſerunt duo alii, quibus celebrabantur *Sigillaria*, Plutonis feſtum, ita dictum a parvis ſimulacris, quæ huic Deo offerebantur. Hinc ſeptem dies Saturnalia perdurabant, a 17 uſque ad 11. Cal. Oct. His feſtis ſignificabatur hominum æqualis conditio, quæ olim Saturni tempore vigebat. Domini jure ſuo in ſervos non utebantur. idcirco eidem menſæ aſſidebant Domini, ac Servi. copia erat libere dicendi, faciendique impune, quidquid vellent, infra tamen ſcelus. S. II. 3, 5. 7, 4.

M. ÆMILIUS SCAURUS Pater, & filius inſignes fuere. Primus fuit Senatus Princeps, Conſul, & Cenſor, de Liguribus triumphavit, & viam Æmiliam ſterni juſſit. Summa cum gravitate & Eloquentia cauſam ſuam peroravit contra Q. Marium Hiſpanum, qui eidem dicam impegerat. Cic. in Bruto Val. Max. lib. 4. c. 4. Sall. de Bell. jug. Aur. Vict. de Vir. illuſt. c. 72. Plin. lib. 34. Caſſiod. faſt. Conſſ. Urſ. de fam. Rom. Alter fuit Ædilis, & magnifi-

gnificentiſſimo extructo Theatro claruit, & ſpectaculis populo Rom. exhibitis. Plin. lib. 36. c. 15. O. I. 13, 37. S. I. 3, 48.

SCIPIO MAJOR teſte Tribuno Tito Sempronio Graccho apud T. Liv. lib. 38, c. 53. „ Fuit domitor ille „ Africæ, quatuor nobiliſſimos duces Pœnorum in Hiſpa- „ nia, quatuor exercitus fudit, fugavitque, Syphacem „ cepit, Annibalem devicit, Carthaginem vectigalem „ nobis fecit. „ Tit. Liv. lib. 30. c. 67. O. IV. 7, 16.

SCIPIO MINOR erat Pauli Æmilii filius, & Semproniæ Sororis Gracchorum, & adoptatus fuit a filio Majoris Scipionis Africani. Carthaginem funditus evertit. Fuit Amicus Lælii, & Lucilii Poetæ. Cic. contra Rullum ait: „ Carthaginem P. Scipio Africanus nudatam tectis, ac „ mœnibus ad æternam hominum memoriam conſecra- „ vit. „ & Vellejus: „ Carthaginem (inquit) P. Scipio „ funditus ſuſtulit, fecitque ſuæ virtutis monimentum. „ O. V. 9, 25.

SCOPAS excellens ſtatuarius vivebat Epheſi, 30 annis ante Parrhaſium, 87 Olimpiade, 430 annis ante æram Chriſtianam. O. V. 8, 6.

SCYTHÆ ab oris Dannubii Europa uſque ad Seras, & extremam Aſiæ Orientalis partem pertingebant. Europæ Scythæ vocantur Daci aut Getæ. Aſiatici occupabant ſub variis nominibus Tartariam deſertam, & partem magnæ Tartariæ. dicebantur profugi, quia pro domibus utebantur plauſtris, quibus invecti vagabantur. O. I. 20, 10. II. 11, 1. 36, 9. III. 4, 36. 8, 23. 24, 9. IV. 5, 25. V. 4, 55.

SEPTIMIUS eques Tiberium comitatus eſt anno 731, Orientem verſus, atque adeo Auguſtum ipſum in alio itinere: ut patet ex Auguſti Epiſt. ad Hor. in antiqua Poetæ vita, Auguſti benevolentiam ſibi conciliavit virtutibus ſuis. Non eſt hic ille Titius de quo ſermo eſt in Epiſt. *Juli Flore*. O. II. 6, 1. E. I. 9, 1.

SERES regionem incolebant, quam Sinenſes Septentrionales hodie incolunt, & quandam magnæ Tartariæ Orientalis partem. Callebant jaculandorum telorum artem. Reges Aſiæ alere ſolebant in aula Juvenes Seras pincernas, coquos, &c. Matronæ Rom. comites habebant Indos. Tib. lib. 2. Eleg. 2. de Nemeſi ait: *Illi ſint Comites fuſci, quos India mittit*. Noſtris quoque temporibus no-

nobiles quidam viri Afris ſervis uti gaudent. O. III. 26, 27. IV. 15, 23.

SERTORIUS teſte Plutarcho equos introduxit duos, alterum quidem pene infirmum, & jam veterem, alterum autem cum procerum ipſum, tum & robuſtum, tum caudam mira pilorum crebritate & pulchritudine habentem. Adſtabat autem infirmo quidem equo vir magnus & validus, alteri vero equo alter homo parvus, & adſpectu ipſo contemnendus. Signo autem eis dato, robuſtus quidem ille utraque manu caudam equi infirmi tanquam perrupturus totis viribus ad ſe trahebat: Homo infirmus vero ex equi robuſti cauda pilos ſigillatim evellebat. Poſteaquam autem ille non mediocri labore fruſtra ſuſcepto, multoque riſu ſpectantibus excitato, defatigatus eſt, infirmus vero brevi tempore, & ſine ullo labore caudam pilis vacuam, nudamque fecit; ſurrexit Sertorius, & videtis, inquit, o ſocii, perſeverantiam viribus efficaciorem eſſe, & multa, quæ ſemel, & uno impetu capi non poſſunt, paulatim vinci, & capi poſſe? E. I. 1, 45.

SERVIUS SULPITIUS GALBA celeber juriſconſultus, celebrior adulter pati non poterat, tam crudeliter agi cum mœchis, eorumque cauſam propugnabat. Fortaſſe etiam ei accidit malum, de quo Poeta loquitur. Erat Pater Sergii Galbæ, qui poſtea imperator fuit. Tam parvo erat corpore ut perridiculus videretur. De eo dixit olim Lollius: *Galbæ ingenium male habitat*: Cum olim cauſam oraret coram Auguſto dixit: *corrige me, ſi quid reprehendis*: Auguſtus reſpondit: *ego te monere poſſum, corrigere non poſſum*. S. I. 2, 46.

SERVIUS TULLIUS Sextus Romæ Rex Patrem habuit Tullium, qui Corniculi, ubi imperabat, periit, dum oppidum a Romanis obſideretur; & Matrem Ocriſiam, quæ capto oppido captiva facta fuit. A ſervitute, in qua natus nomen Servii deduxit. Sed ortus ſui ignominiam virtutibus ita deterſit, ut poſt Tarquinii Priſci mortem regnum aſcendere meruerit. S. I. 6, 9.

L. SEXTIUS NEPOS fidum ſe præſtitit partibus Bruti. Auguſtus eum conſulem in ſuum locum ſuffecit anno 731, ut eundem ſibi magis devinciret. O. I. 4, 14.

SEXTUS POMPEJUS ſe Neptuni filium vocari jubebat, quia ejus Pater dominatus fuerat mari. Ridiculus homo veſtem quoque cæruleam induebat, ut ageret Neptunum.

Infi-

Infinitam prope mancipiorum vim excepit, cum Siciliam teneret, quibus militibus uteretur. Quod quidem tanto fuit Italiæ incommodo, ut Veſtales vota & ſacra Diis fecerint. Sæpe in Siculo mari claſſem Octavii vicit, ſed fortuna uti neſcivit. Tandem victus in Aſiam perrexit, ubi a Ducibus Antonii. C. Furnio, Titio, & Amynta circumventus in poteſtatem Titii venit, a quo juſſu Antonii, vel Planci, qui Syriæ præerat, prope Miletum occiſus eſt. O. V. 6, v. &c.

SIBYLLA vocata fuit prima femina, quæ Delphica Oracula protulit, Patrem habuit Jovem, teſte Pauſania, & matrem Cumiam Neptuni filiam. Vivebat multo ante captam Trojam. Hinc omnes feminæ huic ſimiles vocatæ Sibyllæ: decem fuiſſe feruntur. Libri Sibyllini ſuppoſiti ſunt, & ſeculi ſecundi opera. Sibyllæ Cumææ tribuitur Oraculum quo illa præcipiebat Romanis, ut ſeculari quoque anno ſacra fierent Diis, & pollicebatur Orbis imperium, uſque dum hunc morem ſervarent. (Vide Zoſim. lib. 2. qui fuit ſcriptor quarti vel quinti ſeculi) O. V. 19, 5.

SICAMBRI ripas olim Sygæ in extrema Weſtphalia meridionali incolebant. Tiberius eos tranſtulit in Galliam anno 746 inter Rhenum, & Moſam, nempe in Gueldriam, & Cliviam. O. V. 2, 36.

SICANI Siciliæ populi ex Læſtrigonibus per Sicanum derivati, occupabant oram meridionalem, & Occidentalem circa Lilibæum. Hiſtoricus Timæus Siculus, qui ſub Agathocle vivebat, aſſerit, erraſſe Thucididem, & Philiſtum, qui affirmant Sicanos ex Hiſpania veniſſe, ubi fluvium Sicanum, & urbem Sicanam commenti ſunt, cum nuſquam ille fluvius, & urbs in ea regione extiterit. O. V. 17, 32.

SIMONIDES plurimas ſcripſit Odas, Tragœdias, Epigrammata, Elegias, ex quibus omnibus aliqua tantum fragmenta extant. Dionyſius Halicarn., & Quintil. eum præferunt Pindaro, aliiſque Poetis propter eximiam in excitanda miſeratione ſolertiam. Natus eſt in Ceo inſula maris Ægæi. Vivebat 65 Olympiade ſub Dario Hyſtaſpe, regnante Romæ Tarquinio Superbo. O. IV. 9, 7.

SINON filius Siſyphi cum ad obſidendam Trojam una cum Græcis iviſſet poſt diuturnum bellum ab iiſdem ſubornatus ſua ſponte ſe Trojanis capiendum obtulit, & ad

Priamum deductus, illi & omnibus civibus Græcos abiiſſe, & equum illum ingentem in urbem recipiendum eſſe fictionibus ſuis perſuaſit: ſed maximo eorum detrimento. Ille equus armatorum Græcorum plenus ſacra Minervæ mentiebatur, & ſimulabat. Nam Græci ideo illum fabrefactum fingebant, ut Palladem iratam placarent. O. IV. 6, 13. V. 19, 17.

SINUESSA Urbs poſtrema novi Latii, mari imminens inter Lirim, & Vulturnum, 18 mill. paſſ. diſſita Formiis, & 25 Caſilino. S. I. 5, 40.

SIRENES erant monſtra, quorum corpora partim ex femina, partim ex ave conſtabant. Erant filiæ Achelоi, & cujuſdam Muſæ. Ita ſuperbia elatæ ſunt propter canendi ſcientiam, ut Muſas in certamen vocare auſæ fuerint. In pœnam alæ iis divulſæ ſunt. Inde receſſerunt in inſulas deſertas prope Siciliam aut Campaniam. Cantus dulcedine nautas in ſcopulos accibant, & interficiebant. S. II. 3, 14.

De quodam CORNELIO SISENNA verba facit Dio, qui adeo maledicus, & impudens fuit, ut ne Auguſto quidem in frequenti Senatu pepercerit. Titus Veturius Barrus eodem vitio tenebatur, morte multatus eſt, quod Veſtalem vitiarit. S. I. 7, 8.

SISYPHUS rex Corinthi, filius Æoli occiſus fuit a Theſeo, quod Atticam infeſtaret latrociniis. Ephiram condidit, quæ Corinthus poſtea vocata eſt. Hunc Poetæ fabulantur eo ſupplicii genere apud inferos plecti, ut ſaxum ingens in montis cujuſdam verticem cogatur protrudere, quod cum ad ſummum pene extulerit, repente deorſum relabitur. O. II. 14, 10. V. 18, 16.

SITHONII teſte Herodoto in finibus Macedoniæ in Parrhaſia, & Chalcidenſi regione inter ſinum Singiticum, & Toronaicum habitabant. Sthephanus Bizantinus, & Plinius alios agnoſcunt Sithonios in extrema Thraciæ ſeptentrionalis parte in ora litorali Ponti Euxini propter flumen Salmydeſſum, inter montem Hæmum, & Danubium. Valde dediti erant vino. de extremis loquitur Poeta. O. I. 19, 9. III. 26, 10.

SMYRNA urbs veteris Joniæ inſignis Melete amne irrigata in interiori parte magni ſinus, cum portu ſatis amplo, & facili acceſſu; falſo Dacierius hanc urbem proximam facit Hermo, qui 150 ſtadiis abeſt. E. I. 11, 3.

SO-

SOCRATES filius Statuarii Athenienſis fuit, Academicorum Princeps, & primus, qui Philoſophiam moralem excoluerit. Areopogitæ eum necari juſſerunt cicuta; quia obnixe Deorum multitudinem oppugnaverat. O. I. 30, 14. III. 12, 19. E. III. 310.

SOPHOCLES Poeta tragicus, felici ingenio præditus, & omni doctrinarum apparatu fretus, mira dicendi facilitate, proprietate, ac ſuavitudine ita nitens, ut vulgo μέλιττα vocaretur; ad decori verique normam redegit Tragicam Muſam, quæ deinde contenta naturali pulchritudine, & ingenita nobilitate faſtum, & giganteam illam feritatem exuit. Curas injecit Choro, quibus Actionem proſequeretur. verſus ſuos affabre dolavit. Æqualis fuit Euripidis, & Periclis, cujus etiam quandoque collega fuit in prætura. Primus tribus Actoribus uſus eſt, adjecto eo, qui vocatur Tritogoniſta, h. e. tertiarum, & ultimarum partium hiſtrio. Primus etiam Choros ex juvenibus quindecim introduxit, cum antea duodecim tantum introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones a compoſitionibus inſtituit. Scripſit inſuper Elegiam, & Pæanas, atque Orationem Proſam, cum de Choro adverſus Theſpin, & Chærilum contenderet. Natus eſt Athenis Olymp. 73 ante Socratem annis 17. Obiit ſexto anno poſt Euripidis mortem, anno 350. Omnes tragicos Poetas ſuperavit. Inter cæteras ejus Tragœdias eminent Philoctetes, duo Œdipi, & Ajax. Filios habuit Jophontem, Læoſthenem, Ariſtonem, Stephanum, Meneclidem. Exhibuit fabulas 123. quamquam alii afferant multo plures, victorias autem 27 reportavit. Hunc Poetam ex inſperato gaudio ob victoriam ex Tragœdia quadam repente obiiſſe Valerius auctor eſt. E. II. 1, 163.

SORACTE (*Monte Treſto*) erat in Etruria in regione Phaliſcorum 26 mill. paſſ. procul ab urbe Tiberim inter & viam Flaminiam. Illic Hirpi, familiæ hujus regionis impune ardentes carbones premebant pedibus, oblita prius unguento neſcio quo pedum planta teſte Varrone. Plinius lib. 7, c. 2. ait: „ Circa Soracte fiebat an„ nuum ſacrificium, in quo Hirpiæ familiæ ſuper am„ buſtam lignorum ſtruem ambulantes non adurebantur. „ O. I. 10, 2.

SOSIORUM familia plebeja erat Romæ. Duo Fratres Soſii bibliopolæ in pumice expoliendis expurgandiſque,

ac manu deſcribendis libris occupabantur. E. I. 20, 2.

SPARTACUS inſignis gladiator, Thracia oriundus, robore animi, & corporis præſtans anno 681 una cum Chryſo, & Ænomao, effracto Lentuli ludo gladiatorio, cum 70 gladiatoribus erupit Capua, manuque Servorum facta, quaſi juſto exercitu comparato, Cerveſium montem in Campania occupavit, ubi cum a Clodio Glabro obſideretur, ejus caſtra diripuit, & Campaniam populatus raptis Prætorum faſcibus, appellatus eſt Imperator. Inde Lentuli exercitum in Apennino diſſipavit, apud Mutinam Caſſii caſtra delevit, tandem cum de urbe invadenda deliberaret, a M. Craſſo pulſus, fugatuſque, cum in Brutium angulum ſe recepiſſet, nec in Siciliam præ navium penuria manere potuiſſet, cum ſuis omnibus fortiſſime dimicans occiſus eſt anno 683. O. III. 14, 19. V. 16, 5.

STATILIUS TAURUS fuit Conſul iterum anno 728. Clariſſimus inter ceteros fuit. in eo virtus generis humilitatem illuſtravit, eumque ad ampliſſimos Reip. honores evexit. Statilia Meſſalina ejus proneptis imperiale ſolium aſcendit Neroni nupta. E. I. 5, 4.

STERTINIUS Philoſophus Stoicus ſcripſit, ut ferunt, 220 libros de doctrina Stoica. S. II. 3, 33. 296. E. I. 12, 20.

STESICHORUS illuſtris Poeta choreas muſicis inſtrumentis aptavit. Natus eſt Himeræ in Sicilia. Obiit 56 Olymp. ſub Cyro Rege Perſarum. Rerum magnitudine Pindaro & Simonidi antefertur. Cum Helenam conviciis inceſſiſſet, orbatus eſt oculorum lumine. Sed cum Palinodiam ceciniſſet, a Caſtore, & Polluce ademtum oculorum lumen impetravit. (Vide Iſoc. Paneg. in Hel.) O. IV. 9, 8. V. 17, 42.

STHENELUS filius Capanei, Græcorum Dux, in bello Trojano unus eorum fuit, qui ſe equo incluſerunt; pugnæ ſcientiſſimus, & equorum promtiſſimus moderator. O. I. 16, 24. IV. 9, 20.

STILUS graphii genus, quo in ceratis tabulis ſcribebatur, ex altera parte acuminatus, qua exarabantur tabulæ, ex altera vero hebetatus, qua delebantur ſcripta. (vide Prudentium Hym. 9. Periſtephanon) S. I. 10, 72. II. 1, 39.

STYX fons Arcadiæ ſeptentrionalis ex Pheneo lacu,

&

& ex Nocari monte manans ex ſaxo, & in fluvium evadens influit in Crathin. Ejus aquæ erant mortiferæ. Poetæ inferorum flumen eſſe cenſuerunt. O. I. 35, 10. II. 20, 8. IV. 8, 25.

SABURA Romæ regio inter montem Eſquilinum, Viminalem, & Quirinalem, quo ſe abdebant meretrices, O. V. 5, 58.

SURRENTUM oppidum ad partem extremam meridionalem ſinus Neapolitani. Surrentina vina optima erant teſte Columella. E. I. 17, 52.

SYRIA eſt prope Mediterraneum inter Ciliciam, Armeniam, Meſopotamiam, & Arabiam. Continet Syriam proprie dictam, Phœniciam, & Paleſtinam. Caput Provinciæ eſt hodie *Aleppo*. Merces Arabiæ Perſarum, & Indorum ſæpe Romam advehebantur per Syriam ante annum 727. O. I. 12, 32. II. 7, 8. III. 29, 60.

SYRTES (*le ſecche di Barberia*). Hoc nomine veniunt etiam aridi illi, & arenoſi tractus in Libya late patentes, qui peragrari ſine magno detrimento nequeunt. Aliquando etiam mare Libycum. O. I. 23, 5. II. 6, 3. 20, 15. V. 9, 3.

T

TENARUS mons (*capo Matapan*) eſt in extrema Peloponneſi parte ad meridiem vergente. Poetæ dicunt patere deſcenſum ad inferos per antrum valde profundum, quod in illa rupe exiſtebat. O. I. 35, 10.

TANAIS fluvius Scythiæ Aſiam dividens ab Europa fertur in Pontum Euxinum. Vocatur *diſcors*, quia Scythæ & Sarmatæ finitimi huic flumini ſemper inter ſe bellabant. Hujus rei teſtis eſt etiam Ovidius. O. III. 10, 1. 29, 28. IV. 15, 24.

TANTALUS Jovis filius apud Poetas, & apud Hiſtoricos filius Tmoli, Rex Lydiæ, & Phrygiæ, aut Paphlagoniæ aliquam partem. Lydi & Trojani de quorumdam locorum poſſeſſione certarunt. Tros Lydiam aggreſſus eſt & occupavit. Pelops filius & ſucceſſor Tantali coactus fuit recedere in Phœniciam cum liberis, ubi multa oppida condiderunt. Hic Tantalus convivas habuit Deos, utque eorum divinitatem exploraret, epulanda eis tradidit Pelopis filii membra. Filius a Jove ad vitam excita-

Digitized by Google

tus eſt. Pater ad inferos dejectus, ubi perpetua ſiti torqueretur. O. I. 24, 7. II. 13, 37. 18, 37. V. 18, 13. S. I. 1, 68.

TARENTUM urbs in intimo receſſu ſinus, qui ab ea dicitur Tarentinus in agro Hydruntino. Tarentini erant Colonia Lacedæmoniorum, qui ducti fuerunt ad oras Japygiæ Meſſapiæ a quodam Philautho, regnante Numa, 696 annis ante æram Chriſt. 55 poſt U. C. O. I. 20, 29. III. 5, 56. S. I. 6, 105. II. 4, 34. E. I. 7, 45. 16, 11. II. 1, 20.

TEANUM duarum civitatum nomen eſt in Italia; eſt enim Teanum Sidicinum in Appia via, de quo Horatius loquitur, & Teanum Appulum in finibus Apuliæ a Larina diſtans 17 mill. paſſ. E. I. 1, 85.

TECMESSA Teuthrantis regis Phrygiæ filia facta captiva, cum Græci regiones Trojæ finitimas depopulabantur. Eam Ajax adamavit, & ab ea habuit filium Euryſacem, qui poſtea regnavit Salaminæ poſt Telamonis mortem. O. II. 4, 6,

TELEGONUS (vide *Circes*, & *Ulyſſes*). O. III. 29, 8.

TELEPHUS filius Herculis, & Nymphæ Auges, & Peleus filius Æaci, & Æeginæ, maritus Thetidis, Pater Achillis cum regno ſpoliati fuiſſent, coacti ſunt ire petitum auxilium a Principibus Græciæ. E. III. 95.

Alter TELEPHUS Rex Myſorum inſtruxerat exercitum, ut a Myſia Græcos expelleret, ſed vulneratus ab Achille ſanatus eſt rubigine enſis Achillei, quæ, teſte Plinio, plurimum valet ad exſiccandum vulnus. O. V. 17, 8.

TEMPE Theſſaliæ loca amœniſſima inter Macedoniam & Acajam, Peneo irrigua, inter Olympum ad Septentrionem, & Oſſam ad Auſtrum. O. I. 7, 4. 21, 9. III. 1, 24.

TEOS urbs & portus, patria Anacreontis in Jonia, in ora litorali inter Erythas ad Boream, & Colophonem ad Auſtrum, 120 ſtadiis a Lebedo, Recentes Geographi eam collocant inter Chalcidem & Lebedum e conſpectu Sami inſulæ. O. I. 18, 17. V. 14, 10.

TERENTIUS natione Afer, Patria Carthaginenſis, libertus Terentii Lucani, a quo ob liberale ingenium eruditus in nobiliſſimorum hominum amicitiam pervenit, præcipue Scipionis & Lælii, quorum etiam opera adjutus

cre-

Digitized by Google

creditur in ſcribendo, ob ſermonis elegantiam. Magnis plauſibus exceptæ ſunt ejus Comœdiæ. Natus eſt anno 560, floruit inter ſecundum & tertium bellum Punicum. Viſendarum Athenarum cupiditate ductus, ex quo navim conſcendit, nuſquam deinde conſpectus eſt. Quapropter naufragio creditur periiſſe. Obiit anno 595, 9 annis poſtquam deceſſit Plautus. E. II. 1, 59. 92.

TERMINALIA 9, vel 10 Cal. Martias celebrabantur Deo Termino, qui erat Lapis, ſeu Truncus in uſum confinii. Thura accendebantur ante eum, flores ſpargebantur, ſacra fiebant. O. V. 2, 59.

TEUCER illuſtris jaculator filius Telamonis, & Frater illius Ajacis, qui ſibi mortem conſcivit. Telamo iratus, quod Teucrum vidit reducem inulta Ajacis morte, in exilium eumdem pepulit. Teucer ſorti gratiam habuit, venit enim Cyprum, ubi a Rege Belo exceptus, morarique juſſus condidit Salaminam, quæ regni caput fuit, ubi ejus poſteri per plura ſecula regnarunt. O. I. 8, 7. 13. 16, 24. V. 9. 17. S. II. 3, 204.

THEBÆ Bœotiæ urbs, hodie parvus pagus: (*la ſtiva*, *o Tiva*) Vocabantur Eptapylæ a ſeptem portis, ut ſecernerentur a Thebis in Ægypto, quæ Ecatonpylæ a centum portis appellabantur. O. I. 7, 3. S. II. 5, 84. E. II. 1, 213. III. 118.

THEON Poeta græcus Satirarum acrimonia notus. E. I. 18, 82.

THETIS filia Nerei, & conjux Pelei, & mater Achillis. Sed Thethys filia Cœli, & Titanis, & uxor Neptuni. O. I. 9, 20. IV. 6, 6. V. 13, 18.

THESPIS Poeta tragicus Athenienſis vivebat an. 233 regnante Dario Hyſtaſpis filio. Non ſolum ſuos Actores plauſtris vexit, eorumque ora fæcibus fœdavit, ſed etiam primus, ut Chorum reſpirare ſineret, perſonam induxit, quæ alicujus viri illuſtris facta, & caſus narraret, & res ad Tragœdiam ſpectantes referret. E. II. 1, 163. III. 276.

THRACE (*Romania*) provincia Turcarum Europæorum Orienti propior inter Pontum Euxinum, & mare Proponticum, Ægæum, Macedoniam, & Bulgariam. O. I. 25, 13. 26, 11. 28, 2. II. 16, 5. 19, 16. III. 25, 11. IV. 12, 2. V. 5, 14. 13, 4. E. I. 3, 3. 16, 13.

THYESTES & ATREUS fratres poſt Patris mortem una-

unanimi conſenſu ſtatuerunt, ſe per vices ad certum tempus regnaturos. Cum partes Thyeſtis eſſent, Atreus aſſuetus imperio locum cedere noluit. Thyeſtes iratus uxorem Atrei abripuit, & abduxit fatalem illum arietem, vellere aureo amictum, imperii pignus. Atreus ad ulciſcendam injuriam jugulavit Fratris ſui filios, & eſum dedit Thyeſti eorum membra. O. I. 17, 17. V. 5, 86. E. III. 91.

THYRSUS erat haſta aculeata hederis, & pampinis interſertis obtecta. Omnes Dii ſymbolum habebant: Bacchus Thyrſum. O. II. 19, 8. III. 13, 173.

TIBERIS fluvius Romæ latus 300 paſſibus, oritur ab Apennino in Etruria, inter Hoſtiam, & portum influit in mare Tyrrhenum. O. I., 2, 13. 9, 11. 30, 12. II. 3, 18. III. 12, 7. S. I. 9, 18. II. 1, 8. E. I. 11, 4. 19.

TIBERIUS Liviæ filius „ Roma diſceſſit anno 731, & „ miſſus eſt ab Vitrico cum exercitu ad viſendas, ordi- „ nandaſque provincias, quæ ſub Oriente ſunt; „ ut ait Vellejus. Antequam diſcederet, nonnullos ſibi elegit comites itineris. Septimius in eorum numero eſſe voluit, & oravit Horatium, ut id ſibi impetraret. Commendat igitur Tiberio Septimium Poeta, nec fruſtra. Tiberius benevole illum excepit, & Auguſto deinde commendavit, apud quem magni poſtea fuit. Artaxias ſecundus filius natu major Artavaſdis primi Parthorum præſidio Armenium ſolium aſcendit, ſed Armeni ejus imperium detrectantes Regem petierunt Tigranem ejus fratrem, qui Romæ educatus fuerat. Auguſtus Tiberium delegavit in Armeniam cum exercitu, quem habebat in Aſia minori, ut Artaxiam ſolio deturbaret, & in ejus locum Tigranem ſublegeret. Appropinquante exercitu Rom. Armeni familia ipſa Tyranni adjuti eumdem occiderunt. Tiberius in Armeniam ingreſſus Tigranem Regem juſſit, & corona regia cinxit, ſedavit tumultus, & in poteſtatem Populi Rom. Armeniam redegit, dum interum Auguſtus a Parthis recipiebat inſignia. „ cum legionibus ingreſſus Ar- „ meniam, & redactum in poteſtatem P. R. regnum ejus „ Artavaſdi tradidit, cujus Rex quoque Parthorum tanti „ nominis fama territus, liberos ſuos ad Cæſarem miſit „ obſides. „ Vell. lib. 2. Belius ait, hiſtoricum hic rem exaggerare Poetæ magis, quam hiſtorici more. Conſtat cer-

certe deinceps Artavaſdem Secundum, & Ariobarzanem ad Armeniæ ſolium elatos fuiſſe per Auguſtum. De Tiberii ingenio, & moribus lege Suet. & Tac. E. I. 12, 27. 18, 56.

ALBIUS TIBULLUS Poeta egregius 4 libros Elegiarum ſcripſit nectare ipſo dulciores. Erat Horatii Amicus, & dives, ſed orbatus fuit plurimis bonis, quod Meſſalam ſecutus eſſet, qui Bruti, Caſſiique partibus ſtuduerat, Triumviratus tempore. Idcirco cum ejus bona in milites veteranos Octavii diſtributa fuerint, aliquam eorum partem ſolummodo poſthac recuperavit. In ſuis elegiis indicat ſuam paupertatem, ut ſignificet, ſe opibus antea, & prædiis abundaſſe. Hujuſmodi certe paupertas, eum, in quo ſita eſſet, hominem ſatis opulentum efficeret. Obiit eo, quo Virgilius, anno 735. O. I. 34, 1. E. I. 4, 7.

TIBUR urbs Italiæ in duabus ripis Anienis; poſtrema Latii in confinio Sabiniæ, 24 mill. paſſ. Roma diſtans. O. I. 8, 7. 19, 2. II. 6, 5. III. 4, 23. 29, 6. IV. 2, 31. 3, 10. E. I. 7, 45. 8, 12. II. 2, 3.

TIBURNUS aut Tiburtus, Caulus, Coras, Fratres & Principes Græci multas urbes condidere in Italia. Primus nomen ſuum dedit Tiburi, reliqui duo duobus montibus proximis. Filii erant Amphiarai. Fortaſſe unus ex iis villam habuit in monte Catilo. O. I. 7, 13. 19, 2.

TIGELLIUS Sardus nepos Phameæ, præſtans Muſicus, ſcurra lepidus, vir aulicus, aſſentator ſolers, diſſolutis moribus inſignis, cerebroſus, & inconſtans homo, inclaruit per vices in aula Cæſaris, Cleopatræ, & Auguſti. Sua bona profudit in ſtultis largitionibus. Favit enim præcipue nebulonibus, & vappis. Differt (ait Sanado) a Tigellio Ermogene, de quo ſermo eſt in Sat. 3. lib. I; in qua de primo mentio fit jam vita functo, de altero vero adhuc vivente. De Tigellio Sardo ſcribit Cicero lib. 7. Ep. 24 ad Gallum, & lib. 13 ad Atticum Ep. 43. S. I. 2, 3. 3, 4. 4, 72. 10, 80. 90.

TIGRIS fluvius notiſſimus & maximus Aſiæ, minor tamen Euphrate, Meſopotamiam ad ortum terminans, eamque ab Aſſyria, & Suſia dirimens in Armenia majore oriens ab Euphratis fontibus 2500 ſtadiis in Niphatis montis parte Auſtrali juxta Sardiæos montes decurrens, eique ad Seleuciam ex parte, & infra toti apud Apamiam ſe immiſcens, inque ſinum Perſicum Arabiam inter &

perfidem prope Teredonem urbem una cum illo exceptus. Ubi ab Euphrate maxime in ortum recedit 360 millia paſſ. numerantur, quanta eſt Meſopotamiæ longitudo. O. IV. 14, 46.

TILLIUS fortaſſe libertus, qui, ſicut multi alii, ſummo legum contemtu per bella civilia invaleſcente, Magiſtratus occupavit. Videtur eſſe Tillius Cimber, unus ex conjuratis, qui J. Cæſarem occidit. Quicumque ille ſit, Tillius cum per ambitum ad honores aſcendiſſet per ſummam ignominiam ab iis depulſus eſt. Eadem via tamen illos recepit, ideoque majorem ſibi invidiam conflavit honeſtiſſimorum hominum. S. I. 6, 24.

TIMAGENES fuit Rhetor Alexandrinus teſte Suida, a Gabinio Romam ductus captivus, & in libertatem vindicatus a Fauſto Syllæ filio. Docuit Romæ Rhetoricam, & vixit uſque ad Auguſti ætatem. Cordus, qui a Poeta vocatur Jarbita, h. e. Maurus ab Jarba Æneæ rivali, qui fuit in Mauritania, ſtulte imitari conatus eſt hæc duo ejus vitia. Adeo viribus obnixus eſt ejus æquandi cauſa, ut diſruptus interierit. Vetus interpres ait: „ Jarbita re-„ gione Maurus fuit Cordus, qui dum Timagenem poſt „ convivium, & inter pocula declamantem vellet imita-„ ri, invidia quodammodo diſruptus eſt. „ ex edicto docendi munere Timagenes privatus Tuſculum ſeceſſit. Cum olim poſt cœnam vomere niteretur, occubuit. E. I. 19, 15.

TIRESIAS Thebis in Bœotia natus, Filius Everi, Pater Mantus oculorum lumine orbatus eſt, quia vidit Palladem nudam in balneo. fatidicus erat. S. II. 5, 1.

TIRIDATES anno 719 a Parthis ſubrogatus eſt in locum Phraatis, quem ſolio depulerant propter immanem ejus crudelitatem. Anno vero 724 Phraates regno potitus auxiliantibus Scythis. Tunc Tiridates coactus cedere ſecum abduxit Phraatis filium, & in Syriam receſſit apud Octavium, qui lætus, quod filium potentiſſimi hoſtis in manu haberet, Romam cum utroque profectus eſt, & paſſus in urbe Tiridatem degere. Anno 729 iſte cupidus recipiendi regni adivit Auguſtum, qui morabatur Tarracone, rogatum auxilium, & comitatus eſt ex Hiſpania redeuntem. Anno 731 Phraates legatos Romam miſit, qui hæc Auguſto proponerent, nempe ſe Romanas Aquilas ei ſtatim redditurum, dummodo ſibi filius, & Tiridates trade-

deretur. Auguſtus legatis filium reddidit, ſed Romæ Tiridatem retinuit regio apparatu conſpiciendum. (vide Horatii vitam) O. I. 27, 5.

TITHONUS Laomedontis Trojani Regis Filius, Auroræ conjux fuit. Hæc eum curru ſuo ſuſtulit, & in Æthiopiam vexit, ubi Memnonem genuit. Ille poſt longiſſimam vitam tandem Memnonis morte audita in Cicadam verſus dicitur. O. I. 29, 8. 16, 30.

TITIUS fortaſſe eſt filius illius Titii, qui avunculum habens & hortatorem ſceleris Munacium Plancum occidit Sextum Pompejum apud Miletum anno 719. Si ita ſe habet erat pronepos Munacii Planci. E. I. 3, 9.

TITIOS filius Jovis, & Helaræ. Jupiter timens iram Junonis, abdit Helaram prægnantem ſub terram. Hinc accidit, ut puer naſcens viſus fuerit e terra produci, ſed educatus fuit in antro. Hic adoleſcens amavit Latonam Apollinis matrem, & auſus violare. Quare Apollo iratus ſagittis eum confodit, & in Tartara demiſit. Stratus humi occupat novem jugera, ejus jecur ſemper renaſcens paſcit duos Vultures. O. II. 14, 8. III. 4, 77. 11, 21.

TOGA VIRILIS ſumebatur 15 ætatis anno elapſo. Erat magnum pallium laneum inſtar ſemicirculi, quod tunicæ ſuperinjiciebatur. Pro perſonarum varietate varia erant togarum genera, longitudine, colore, ornamentis. O. I. 37, 9. III. 5, 10. S. I. 2, 63. 82. 3, 14. 31. E. I. 1, 95. 14, 32. 18, 30. 19, 13. II. 1, 17.

TORQUATUS eſt ille fortaſſe, cujus Patruus erat L. Manlius Torquatus, qui fuit Conſul anno 689, & cujus conjugium cecinit Catullus. Eidem miſit Horatius Epiſt. *Si potes Archiacis* &c. De Conſule loquitur Od. 13. lib. 5. Lucius Torquatus filius L. Manlii jam obierat anno 709. Dacierius ergo errat, dum putat, Horatium loqui de filio Conſulis. Cum Cicero ſcripſit ſuos de Finibus libros, Horatius erat admodum adoleſcens, nec adhuc verſus faciebat. O. IV. 7, 23. V. 13, 8. E. I. 5, 3.

C. TREBATIUS TESTA inſignis juriſconſultus, honeſtiſſimus vir, bene audiebat apud J. Cæſarem, & Auguſtum. Eum Cicero laudat vehementer in ſuis Epiſtolis. Horatii ætate fortaſſe annum ætatis agebat 80, quia anno 705, quo bellum Gallicum peractum eſt, in ſenium vergebat, S. II. 1, 4.

TRI-

Digitized by Google

TRIVICUS urbs Hirpinorum in provincia *Principatûs ulterioris* inter Apenninum montem, 13 mill. paſſ. a Compſa, a Benevento 24, interjecta utrique urbi. Sed Trivicus, de quo loquitur Horatius eſt parva villa, dicta ſic fortaſſe, quod eſſet in Trivio. S. I. 5, *79*.

TRIUMPHUS agi incipiebat in Campo Martio, Flaminii Circum interſecabat, & urbem ingrediebatur porta triumphali, quæ proxima erat portæ Carmentali inter Tiberim, & Capitolium, hinc ferebatur ante Theatrum Marcelli, & Octaviæ porticus per medium Velabrum, & Forum boarium in Circum maximum procedebat, flectebat inde iter ad lævam ex parte veteris Curiæ, unde via ſacra ad forum Romanum deſcendebat; & Saturni Templi latere emenſo, flexoque itinere Capitolium aſcendebat. O. I. 2, 49. 13, 54. *26*, 4. 34, 32. II. 1, 16. 4, 7. III. 1, 7. IV. 2, 35. 49. 50. 4, 48. V. *9*, 23.

TRIUMVIRATUS Cæſaris, Pompej, & Craſſi conſtitutus eſt anno *694*. Fuit ſemen bellorum civilium. Conſules hujus anni erant Q. Cæcilius Metellus Celer, & L. Afranius. Alter Triumviratus per quinquennium Octavium inter, & Antonium, & Lepidum ſtatutus eſt 5 Cal. Decemb. prope Mutinam anno 711. Inter cetera ſancitum eſt, Africam, Siciliam, Sardiniam Octavio traditum iri, Hiſpaniam, & Galliam Narbonenſem Lepido, Antonio vero Gallias &c. (vide Horatii Vitam.) O. II. 1, 1.

TROCHUS erat circulus ferreus mobilibus annulis inſtructus. Pueri eum circumvolvebant duce virga ferrea per vias. Sonitus annulorum monebat populum, ut caveret ab occurſu. Martialis eum deſcribit Epig. *160*. lib. 14. O. III. 24, 57. E. III. *369*.

TROJA vetus in Phrygia 30 ſtadiis aberat a nova ad Ortum, prope montem Idam, ubi erat vicus Ilienſium Strabonis ætate. Ter obſeſſa eſt, primo ab Hercule, iterum ab Amazonibus, tertio a Græcis. O. I. *9*, 21. 11, 15. *29*, 11. III. 3, 32. *60*. *61*. IV. *6*, 3. 15, 31. V. *19*, 41. S. II. 3, *191*. 5, 18. E. I. 2, 1. *19*. III. 141. 147.

TROILUS Priami filius. Ejus vita maxime cara Patriæ fuit. Nam Trojæ incolumitas a Troili pendebat ſalute. Occiſus eſt ab Achille. Ejus ſorores fuere Creuſa, Laodice, Polyxena, Caſſandra. O. II. *9*, 16.

TUL-

TULLUS HOSTILIUS tertius Romæ Rex adeo dives erat, ut in eos, qui fundo carebant, immenſam agrorum vim ad regnum pertinentium diſpertiri pateretur, dicens, patrimonium ſuum ſatis ſuppetere ſacris faciendis, & domeſticis ſumtibus. O. IV. 7, 15.

TUNICA LATICLAVIA erat veſtimenti genus, cujus anteriori, & mediæ parti adſuebantur duæ purpureæ teniæ a collo ad pedes uſque productæ, ita ut cum veſtis clauderetur, illæ duæ teniæ in unum coirent. Si teniæ erant latæ, tunica vocabatur laticlavia, ſi vero anguſtæ, anguſticlavia. S. I. 5, v. &c.

TUSCULUM erat in regione Latinorum, itinere dimidiati diei aberat Roma, ſitum in declivi colle. Conditum fuit a Telegono Ulyſſis, & Circes filio, & ab Imperatore Henrico dirutum. Ex ejus ruderibus conſtructum eſt Oppidum dictum *Fraſcati* 4 mill. paſſ. diſſitum ab antiquo Tuſculo. Telegonus ignotum ſibi Patrem occidit, & receſſit in Italiam. O. I. 1, 29. III. 29, 8.

TYRTHEUS oriundus erat ex Erinea urbe Doridis, quæ vocabatur Tetrapolis, quia continebat quatuor urbes, nempe Pindum, Erineam, Cytinium, Boæum. Erat corpore parvo, & deformi, Ludimagiſter Athenis, & irriſionis cauſa traditus ab Athenienſibus Spartanis, qui jubente Oraculo Cecropium Ducem quærebant, ut bellum moverent in Meſſenios. Homo ita verſibus ſuis copias accendit, quæ jam inclinabant, ut hoſtium exercitum funderent. Id fortaſſe accidit anno 72. E. III. 402.

V

VACUNA erat Dea vacationum, cujus feſtum celebrabatur menſe Decemb. Extabant in agro Horatiano aliqua rudera Fani hujus Deæ. E. I. 10, 49.

C. NUMONIUS VAALA anno 762 cum eſſet legatus Quintilii Vari in Germania in cauſa non levi fuit, cur Romanæ copiæ exſcinderentur. E. I. 15, 1.

VARIA urbs ad Anienem in regione Æquorum in confinio Sabiniæ, vocabatur olim Valeria, quia condita fuit prope viam Valerii. E. I. 14, 3.

VARIUS inter primos Epici Poematis, & Dramatici Scriptores numeratur ab Horatio, Virgilio, Quintiliano, & Martiale. Plurimum operæ contulit, ut Horatius gratiam

tiam apud Mæcenatem iniret. Poſt Virgilii mortem cura ei commiſſa eſt ab Auguſto expurgandæ Æneidos. O. I. 6, 1. S. I. 5, 40. 92. 6, 55. 10, 44. 81. II. 8, 21. 63. E. II. 1, 247. III. 55.

P. TERENTIUS VARRO natus eſt anno 673 apud Atacinos in Gallia Narbonenſi, ita dictos ab Atace flumine. Poema condidit de bello Sequanorum, & alia poetica opera illuſtria, ſed in Satira ſcribenda mediocris, fortaſſe a J. Cæſare Romam ductus eſt. S. I. 10, 46.

VEJA urbs in Etruria 16 mill. paſſ. diſſita ab urbe Neapolim verſus. Vejentum populorum regio, quam Tiberis a Sabinis, & Latinis ſejungebat, eſt hodie *il Patrimonio di S. Pietro*. Vejentanum vinum ſatis mediocre erat. S. II. 3, 143. E. II. 2, 167.

VEJANIUS nomen Etruſcum ex regione Faliſcorum, & Vejentum. Ille, de quo ſermo eſt, inter gladiatores celeberrimus erat, eum populus ſæpe efflagitabat. Idcirco Romam denique reliquit, & rus receſſit, ubi reliquum vitæ ſpatium ageret, poſtquam Fundis arma ſuſpendit Herculei templi parietibus. Qui enim alicui arti vale dicebat, inſtrumenta ejuſdem Deo præſidi ſacrabat, & templi muris adfigebat. E. I. 1, 4.

VELABRUM a *vehendo* dictum, locus imus ad radices Aventini, obruebatur aquis, cum aggeres Tiberis ſuperabat, & tunc vehiculis opus erat. Tarquinius huic incommodo mederi ſtuduit, aquarum ductus ſubterraneos conſtrui jubens, quibus alio aqua verteretur. Plurimum operæ poſuit Agrippa, ut Velabrum aquarum illuvie liberaretur. S. II. 3, 229.

VELIA oppidum Lucaniæ in ſinu Pæſtano conditum a Phocenſibus, Elea dictum, & incolæ ipſi Eleatæ: eſt e regione inſularum Œnotridum. Hinc portus Velinus, lacus Velinus. E. I. 15, 1.

VENAFRUM urbs, colonia Romana, erat olim in Campania non procul a Vulturno. Ejus ager uſque ad confinia Latii, & Samnii progrediebatur, & optimas olivas ferebat. O. II. 6, 16. III. 5, 55. S. II. 4, 69. 8, 45.

VENERIUS JACTUS accidebat, cum omnes talorum facies diverſæ erant. In conviviis vocabatur baſilicus, quia Regem convivii jubebat. Idem Cous, & Supus a ſupare, i. jacere. Tali erant oſſicula quædam quadrilatera,

tera, quibus olim luſitabant, quorum latus, quo unitas ſignificatur, Canis, ſive Canicula dicebatur, in quam converſo talo deponebatur ab eo, qui jactaverat, nummus unus, ſine lucro. Ejus oppoſitum latus, ſive Venus, ſive Cous, & Supus erat, ſeptenarium numerum ſignificans, quem numerum qui repræſentaſſet, ſex nummos lucri faciebat, & quidquid Caniculæ jactu corraſum eſſet. Alia duo latera Chius & Senio erant, ternarium ille, hic quaternarium ſignificans. Chius lucri nummos tres; Senio, quatuor afferebat: ideo dexter dictus. Erat tamen & ludi quædam ratio, in qua Senio æque damnoſus erat, atque Canis. Aliæ quoque vices in hoc ludi genere notantur. O. II. 7, 25.

VENUSIUM urbs Apuliæ Dauniæ in confinio Lucaniæ, olim erat in regione Samnitum, Patria Horatii. O. I. 29, 26. S. II. 1, 35.

VERTUMNUS Deus præerat rerum mutationibus, & vicibus variis, quæ ad hanc rerum varietatem exornandam maxime valebant. Multifariam repræſentabatur. Forum Rom. erat vicus librariorum. Illi arcus ferebant nomen Jani. Vertumni ibi ſignum, & fanum erat. S. II. 7, 14. E. I. 20, 1.

VESTÆ hujus nominis erant duæ, Mater una, altera Filia Saturni. Prima erat tellus vocata Cybele, Pales. Secunda vero erat ignis, de qua loquitur Horatius. Romæ Templum habebat ſibi ſacrum, Sacerdotes ejus dictæ Veſtales tenebantur cuſtodire ignem ſacrum, & perpetuum, & Virginitatem ſervare. Illæ ſi ignem extingui per incuriam ſiverint, virgis a Pontifice maximo percutiebantur; ſin a viro vitiari, vivæ ſepeliebantur. In tam frequenti urbe vix paucæ puellæ induci poterant, ut in Veſtalium cœtum ſeſe reciperent. O. I. 2, 16. 28. III. 5, 11. S. I. 9, 35. E. II. 2, 114.

VETERES Rom. ſolebant venatui operam dare, & vino perficiendo. Illud enim in cella vinaria conſeneſcere jubebant, inde fumo matureſcere. Ut autem fluidius, ac minus denſum efficerent, ſacculis percolabant. Hinc vinum *ſaccare*, *liquare*. Ipſi etiam ſuperſtitione ducti putabant, pœnam ſemper conſecuturam fuiſſe mendacium, & poſt perjurium ſtatim aut dentem corrumpi, aut unguem notari, aut linguam, naſumque ſummum tumeſcere, aut faciem maculari, aut pedem offendi, aut capil-

los

los decidere. Qui jurabant, ultro quaſi obnoxii fiebant pœnis, & execrationibus, quæ perjuro capiti imminere debebant. Eorum caput erat tunc devotum...... Ipſi vinolentiam adeo in feminis perhorreſcebant, ut leges 12 Tab. uxores vino madentes necandas maritis permitterent...... Ipſi in id obnixe incumbebant, ut juvenes innocentibus moribus imbuerent. Partem domus filiis habitandam deſtinabant, eamque non modo clavibus, verum etiam ſigillis muniebant, ne cuiquam ſuſpecto adeundi locus eſſet. &c. O. I. 12, 7. 37, 13. II. 8, 1. 5. E. I. 20, 3.

VICUS TUSCUS in foro Rom. terminabatur. In eo habitabant Lenones, h. e. Mercatores mancipiorum, & Unguentarii. S. I. 3, 228.

VILLIORUM gens illuſtris in duas familias didebatur. Primæ inditum nomen *Annalis*, alteri *Tappulus*. S. I. 2, 64.

VIRGILIUS Mantuanus Poeta inſignis ſcripſit Eclogas, Georgica, & Æneida, Auguſti, Mæcenatis, Varii, Horatii, aliorumque Amicus. Horatium Mæcenati commendavit. Obiit paucis annis ante Varium. Georgicorum opus maxime laudatur ab Horatio. Nullus dubito, quin Horatius etiam Æneidem legerit, cum fuerit amiciſſimus Tuccæ, & Varii, quibus Auguſtus illud Poema emendandum tradiderat. O. I. 3, 6. 25, 10. IV. 12, 13. S. I. 5, 40. 6, 55. 10, 45. 81. E. II. 1, 247. III. 55.

ULUBRÆ malus pagus in extremo Latio prope Velitras. Ibi innutritus fuit Octavianus. E. I. 11, 30.

ULYSSES Laertis filius Rex Ithacæ, & Dulichii inſularum. Fingitur ab Homero vir multa pollens eloquentia, & rerum experientia, vafer conſilio, egregius bello, laborum patientiſſimus. Uxorem habuit Penelopem Ichari filiam, ex qua Telemachum ſuſcepit; inſaniam ſimulavit, ne ab ea, quam adamabat, diſcederet. Tandem detectus a Palamede ad Trojam pertractus eſt, ubi ſtrenue ſe geſſit. Capta Troja navem conſcendit Ithacam verſus navigaturus, multa loca adivit, tempeſtatis vi ad Circem pervenit, quæ ſocios ejus in belluas mutavit. Ipſe vero antequam poculum ſibi a Circe oblatum hauriret, uſus eſt antidoto, græce μῶλυ, quod Mercurius dederat. μῶλυ erat radix vel ſuccus plantæ vim habens ad averruncanda incantamenta. Denique poſt multos caſus,

&

Digitized by Google

& longos maris errores in Patriam conceſſit, occidit procos, & cum Penelope ſuaviter reliquum vitæ ſpatium tranſegit. O. I. *6*, 7. V. *16*, *60*. 17, *16*. S. II. 3, 197. 204. 5, 100. E. I. 2, 18. *6*, *63*. 7, 40.

USTICÆ ſitus & forma hæc eſt. In Sabiniæ valle inter Anienem, & Curretiam a Borea ad Auſtrum protendebatur longa montium catena, quam interrumpebat Vallis magna ab Oriente in Occidentem producta, ubi erat Banduſia, & Mandela Sabinenſis agri regiones. In tractu quidem Banduſiæ non longe a ripa dextera Curretiæ erat mons Lucretilis, e cujus jugi perpetui lateribus fundus Horatii Uſtica perinde ac ipſa villa nominatus per clivum cognominem, eumdemque unum excurrebat. Vicinus ibidem rivus ad pedes Lucretilis Digentia nomine agrum interfluebat, pererratiſque Banduſia, & Mandela pagis, nec non luco, & fano Vacunæ ſacris in Curretiam fluvium ſuas aquas deferebat. Inter ceteras hujus ruris delicias pomaria errantibus huc illuc irrigata fontibus, nemora hoſpitalibus arborum umbraculis, ac viriditate amœniſſima, prata etiam læto veſtita gramine viſebantur. Poſt mutatam iterum, ac ſæpius villæ faciem, totas ædes Poeta beatulus reficiendas omnino curavit devectis e Tibure ſaxis candentibus. Quam autem non modice patuerit Horatii prædium, ex eo videtur poſſe conjici, quod toto anni curriculo inibi exercerentur octo Servi una cum Villico, qui ruſticanis præeſſet operis, quodque olim habitatum quinque focis familias totidem ſeparatas ſuis fructibus alebat. Flavius Blondius 15 ſeculi Auctor hanc Poetæ villam poſitam affirmat in montibus Latii circa Præneſte, eo nixus argumento, quod ſuis temporibus in iis montibus erat templum S. Joannis in Horatii campo. Quid inanius narrari poteſt? ille campus nomen mutuari poterat ab alio Horatio recentiori. Teſtimonia certa, & convenientia ejuſdem Horatii, antiquique ejus vitæ Scriptoris, præterea Acronis, Porphirionis, & Cluvii, qui perſpecta locorum ratione, quæ hactenus diximus, comprobavit, rem extra dubitationis aleam poſuere. O. I. 18, 17. E. I. 14, 23. *16*, 5.

UTICA, deſtructa Carthagine, caput Africæ facta eſt, hodie vocatur *Biſerta* in regno Tunitano, magnum habet portum in parvo ſinu. E. I. 20, 13.

VULTUR erat Collis Apennini prope Venuſium in Confinio

finio Apuliæ, & Lucaniæ. Erat revera mons Apuliæ, ſed unum ex lateribus hujus montis porrigebatur in Lucaniam, & in eo latere accidit ipſi Poetæ, quod narrat. O. III. 4, *9*.

X

XANTHUS erat flumen Trojæ. erat etiam alius Xanthus flumen Lyciæ a monte Cadmo decurrens, qui in mare Pamphiliæ influebat, 4 leucis circiter infra urbem ejuſdem nominis. Apollo colebatur in ea regione, Oraculum etiam celebre habebat in urbe Patari ad oſtia fluminis. De hoc Xantho loquitur Poeta. O. IV. *6*, *26*.

XENOCRATES Philoſophus Chalcedonius auditor Platonis, Philoſophorum ſeveriſſimus perhibetur, & adverſus omnem voluptatum titillationem prorſus invictus. Phrynem formoſiſſimam ejus ætatis meretricem a diſcipulis in lectulum ſuum ſubmiſſam, & ſeſe ad concubitum modis omnibus ſolicitantem intactam tamen dimiſit. Unde & Phrynem ipſam poſtridie rogantibus iis, qui illam ſubmiſerant, dixiſſe ferunt, cum ſtatua ſeſe, non cum homine cubuiſſe. Gravitati vero ejus & fidei tantum tribuerunt Athenienſes, ut cum injurati nullius teſtimonium admitterent, huic uni injurato crederent. Miſſus ad Philippum legatus, cum collegas accipi humaniter videret, muneribus ornari, & conviviis adhiberi, ſeſe tamen, qui legationis ejus princeps erat, vix in conſpectum admitti, quod Macedonum rebus ſemper eſſet adverſatus, beneficium accipere dixit, quod ſeſe unum Philippus ſuæ in Athenienſes perfidiæ teſtem vereretur. Alexandri quoque munera fortiſſimo animo contemſit, regibus, inquiens, non Philoſophis opus eſſe pecunia. Obiit 82 annos natus, cum noctu forte in Sartaginem offendiſſet. S. II. 3, 257.

Z

ZONÆ ſunt circuli quidam lati cœlum terramque ambientes veluti quædam cingula. Sunt autem numero quinque, ex quibus media inter Tropicos, quæ torrida dicitur falſo a nonnullis parum apta habitationi creditur. Nam præbet ſe habitantibus commodam, & ſanam; calor

lor ibi temperatus eſt, terra fertilis. Non omnibus veteribus perſuaſum erat, ſub Æquatore neminem degere. Huetius id comprobat teſtimoniis Polybii, Eratoſthenis, Jubæ, Ptolemæi, Ariani, Avicenæ, Philoſtorgii, & Diodori. Zonæ vero extremæ ſub Arctico & Antarctico circulis ſitæ nimio frigore horrent, unde habitationi parum idoneæ ſunt. Reliquæ autem, ut quæ medium inter torridam, & gelidam ſitum obtinent, temperatæ ſunt, & humanæ vitæ accommodatiſſimæ. O. I. 23, 17.

FINIS.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Pag. 12. lin. 6. ſubodorati	ſubdoratæ
34. l. 29. equam	equum
38. l. 12. Num	Nam
ibid. l. 29. plene	plane
81. l. 30. vaſo	vaſe
108. l. 8. viam	vim
114. l. 30. quaſi	quam
141. l. 6. devoravit	devorarit
154. l. 24. monte	in monte
155. l. 20. conſtiturum	conſtituturum
175. l. 16. in illa	in illo
187. l. 9. incertos vel	in certos, vel
223. l. 16. PHÆSTON	PHAETON

VA1
1551909

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google